




V
B
J
D

A.

Agapae olim usitatae. Eccl. de ser. n. 50.
Kipnerus de trib. [illegible] Christ. c. X.

Altarium usus antiquus Eccl. sect. 3. Θ. 3. §. 41.
Kipnerus c. 1. [illegible] c. 3. n. 4 usque n. 12.
una ara in templo Christianorum Confess. c. 9.
Altaris veteris quae ratio quae paratio. Kipnerus c. 1. n. 14.
Altaris magnificentia [illegible]. Kipnerus c. 1. §. ult.

Symbolum Apostolicum ipsos Apostolos habet auctores, qui illud viva voce tradiderunt. Eccl. sect. 1. Θ. 4. tract. de ser. §. 12. 13. tract. de fi. [illegible]
Quid opponi possit Vossius dissert. tract. de Symbolo Apostolico.
De Symbolum Apostolicum [illegible] ab antiquo [illegible] baptizandis. Eccl. sect. 1. Θ. 4. §. 12. de ser. §. 14.
Symbolum Apostolicum [illegible] ad salutem [illegible] Eccl. Θ. 5. sect. 1. de ser. §. 14. 15. 16. 17.
Symbolum Apostolicum [illegible] cum Symbolo Niceno et Constant. Eccl. de ser. §. 15. 16.
[illegible] discernuntur Catholici ab haereticis ib. §. 20.
haeretica [illegible] ad symb. Apostolicum [illegible] ib. n. 21.
Unde sciatur genuinus Symboli Apostolici [illegible] n. 23. 24. 25. 26.

Arbitrium liberum [illegible] in [illegible] et [illegible] Eccl. Θ. 5. sect. 2.

Athanasii Symboli [illegible] Athanasium auctorem. Vossius de Symb. dissert. 2.

B.

Infantes baptizati nunquam salvantur. Eccl. sect. 2. Θ. 4. §. 13. 14. 15. 16. 17. In baptismo Christi [illegible] filii dei [illegible] baptismus ordinarie [illegible] [illegible] Eccl. [illegible] [illegible] circa bapt. [illegible] Cassander consult. ad art. 9. Conf. Aug. [illegible] baptismum [illegible] c. 7. [illegible] Conf.

Beatitudo futura [illegible] consistit in visione Dei oculis [illegible] Eccl. sect. 5. Θ. 2.

C.

Canonica [illegible] v. [illegible]
Canonicorum ordo a [illegible] Latinos [illegible] et unde Canonici seculares et regulares. Cassander consult. ad art. 25. Aug. Conf.
Cantiones sacrae [illegible] ad art. de Missa.
Catholica [illegible] v. [illegible]
Catholici et Christiani [illegible] Eccl. sect. 1. Θ. 5. §. 19.
[illegible] sine [illegible] Eccl. sect. 2. Θ. 1. §. 4.
[illegible] et Catholicus [illegible] Eccl. sect. 1. [illegible] Θ. 5. n. 19.
Christi in V. T. [illegible] distincte orarunt in nomine Christi. Eccl. sect. 2. Θ. 9. de vigiliis nocte ante resurrectionem Christi [illegible] de [illegible] c. 7. §. 16. [illegible]
[illegible] Eccl. [illegible] sect. 4. Θ. 1.
Christus ad inferos descendit [illegible] Eccl. sect. 4. Θ. 2. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] c. 3.

Aliud cognitio stricte sic dicta aliud fides. Tanner. sect. 1. q. 1. disp. de ver. fid. cognitio una d. fides una e. Scriptura concordia Ecclesiae. [illegible] ib. q. 1. a. [illegible] 14. vers. ad [illegible]
Ut ab eod. credi et cognosci nequit. sect. 1. q. 2. Ad cognoscendum [illegible] conclusiones ex articulis fidei deductas sect. 1. q. 6.
Conclusiones ex articulis fidei o ad fidem d. ad cognitionem spectent Tanner. sect. 1. q. 5.
In Conversione [illegible] se [illegible] efficit ex quo. Tanner. sect. 2. q. 5.
Crede ad [illegible] fides.
Crux Christi merito adoratur. Cassand. consult. ad art. 21. o [illegible] adoranda sit [illegible] ib.

[illegible]

o Tanner.

Ecclesiastica concordia scripturarum e fides o cognitio Tanner. sect. 1. q. 1. a. d. 14. vers. ad [illegible]
Scriptura sola e norma fidei altera in sensu Ecclesiae Catholicae [illegible] ad [illegible] recurrendum. Tanner. sect. 1. q. 9.
Ecclesia Catholica errare nequit [illegible] 1. § 4.
Catholici Ecclesiae dogmata e [illegible] antiquum, ubique et [illegible] obtinet [illegible] § 18 seqq. [illegible] censendum de [illegible] de quibus Ecclesia nihil definivit [illegible] 31. ad dignoscendum sanum testimonium Ecclesiae varium. q. X.
[illegible] in Ecclesiam credimus Critop. Conf. c. 7. [illegible] nota Ecclesiae Catholicae ib. o sufficit ad veram Ecclesiam dignoscendam si recte sentiat de fide et sacramentis. Cassand. consult. ad art. 7.
Ecclesiae [illegible] precum [illegible] retinenda. Tanner. q. 7. sect. 3. § 6. 7.
o qui errant e heretici Tanner. de [illegible] § 7.
[illegible] adorandum. Critop. conf. c. 13. [illegible] ib. Cassand. Consult. ad art. 22. Male ad [illegible] differt.
In [illegible] sacerdotes [illegible] ante [illegible] o caeterum tantum Critop. Conf. c. [illegible] [illegible] de [illegible] c. 3. n. 17. 18. 19. 20. In [illegible] usu [illegible] Critop. Conf. c. [illegible]
Circumgestatio [illegible] Christi iuste improbatur. [illegible] Cassand. consult. ad art. 22.
Consecratio [illegible] panis [illegible]

Cassand consult. ad art. X. Quos se sepa-
rare dant ad Euch. Crilog. Conf. c. 9. Rixn.
de Euch. vel Christ. c. 4. Eccl. fect.
3. Θ. 3. n. 7. 8. S. Euch. data e Infan-
tib. in antiqua Eccl. Eccl. fect. 2. Θ. 7.
n. 7. Rixn. c. 11. de Euch. vel Christ.
impiletur et nobil. ad eur danda. S.
Crilog. Conf. c. 9. In S. Euch. Institutae
... Hoc e corp. meu plures Adam-
Olere ... stabiliter absurdu, e nim.
f metonymia ... figura ... Ubi. Jes...
f ... substantia ... repte
ad el veru corp. ... Eccl. fect. 3
Θ. 1. panis in Euch. ... corp. Chri
... unione ... f mutatione. Eccl.
Θ. 4. fect 3. f De Transubstantiao
v. J. Transubstantiao. Euch. antiqua e
sacrificiu Incruentu fect. 3. Θ. 3.
Rixn circa Euch. antiq. v. Rixn. tr.
de Vel. Christ. Inst. circa Euch.
Eccl. fect. 3. Θ. 3. n. 2. 3. 8. 41. 43.
44. 45. Missa e sacrificiu, qd ex op-
e rato mereatur aliis f applicatur
tam vivis q mortuis remissione pcto-
ru Eccl. fect 3. Θ. 3. n. 47. f
... calibus ... papistae ... defend.
Cassand ad art. 24. Missae solitariae
... Eccl. fect 3. Θ. 3. n. 48.
Cassand Cons. ad art. 24. Euch. e
in ignota lingua celebranda. Eccl.
fect. 3. Θ. 3. n. 49. In S. Euch. fer-
mentatus panis ad hibendus. Crilog. c. 9.
Rixn. c. 1. Θ. 6. n. 9. 10. 11. Quid pare
in S. Coenam accedend. Conf. Crilog.
c. 9. De unione sub una ad
... v. Calixt. tr. toto de ea.

panis ... in Euch. adorari. S. Cass. cons.
ad art. 21. Missae quae in domib. cele-
brari. Cass. cons. ad art. 29. ...
ff celebranda in Coenobiis. ... Euch. ...
... Rixn. De Euch. Inst. vel.
Christ. c. 3. Calixt. de unione sub una
n. 10. 152. 153. De fidelium ... in Euch. Rixn. c. 6. c. 6. Eccl. fect. 3. Θ. 3.
n. 9. 10. Sacerdotes et Laici ante Euch.
manus lavabant. Rixn. c. 1. c. 7. Eccl. fect
3. Θ. 3. n. 8. foeminae linteo eam exci-
piebant. Rixn. c. 9. n. 21. Eccl. c. 1. Sanguinem
... in vinu Rixn. c. 8. ff 12. et c. 9.
n. 17. Latini ... Calixt.
de unione sub una n. 6. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.
150. 151. ... in Euch. Rixn. c. 9. n. 1. 2.
3. 4. Eccl. fect. 3. Θ. 3. n. 5. ... Rixn.
n. 5. 6. 7. 8. Eccl. c. 1. n. 6. Mere aqua
... Rixn. c. 1. n. 15. 16. Missae
defunctis v. J. Mortuus.

F

Fides aliud, aliud cognitio stricte sic dicta. Becid.
sect. 1. Θ. 1. de Dar. §. 6. cognitio una, d.
fides una etiam quoad Catholicos ib. Θ. 1.
à §. 14 usq. adf. id ab eod. credi & cog-
nosci negt. sect. 1. Θ. 2. Fides non est cognitio
stricte sic dicta, d. firma et immota cuj assensio
sect. 1. Θ. 5. Fides non est pars poenitentiae.
sect. 1. Θ. 5. §. 4. Art. fidei ordinarie continentur
in symb. Apostolico Θ. 5. sect. 1.
Continuae ex ordinis fide deducta non
spectant ad fidem d. cognitionem. sect. 1. Θ. 6.
Infantes in fide salvifica capaces
aeque ac adulti. sect. 2. Θ. 7. Quod
Dar. solam fidem justificare Calv. Conf.
ad art. 4. Item sancta non est fides
ad art. 5.

De utilitate gratiae Baptismi Pelagiani
contra Dris Becidi Θ. 5. sect. 1. §. 41.

Qui censendi Haeretici. Becid. disp. de Haer.
Art. errans Haereticus n. 7. Haeretici
damnati. §. 8. 9. Haeretici non sunt Christiani.
n. X. Haeretici infideles n. 19. Catho-
lici discernuntur ab haereticis symb. apostoli-
cum n. 20. Haeretici quod uti Symb. ap.
cat. ad Symb. Apostolicum n. 21. Haeretici
ad Ecclesiam pertineant? ... in sensu genui-
no n. 22. n. Haeretici non sunt Catholici
n. 36. Haeretici non sunt Orthodoxi
n. 37.

De veteri vers. Epla ad Hebraeos. Becid.
sect. 1. Θ. 4. § ult.

Codex Hebraicus Mose sine punctis scri-
ptus Becid. sect. 1. Θ. XI. §. 14.

9

1.

Jejunandum inter festa Lutheri. Conf. c. 8.
in eccl. septimanis die Ven. et Merc. etc.
Omissis festum ib. quod jejunandum ib.
Cur Jejunandum Cassander consult. ad
art. 15. Conf. Aug. quo jejunandum dieb.
Vigiliis Eccl. de Ver. Part. 31 et ult.
Jejuniorum libertas fecit Boreus hist. 31.
dies sabbathi olim quo jejunarunt.
introductum s. ult. Ver die Sab.
bathi nec solis olim jejunarunt
aliqui. de Communione sub una n. 145.
146. 147. 148. 149.

Imago Dei in homine primo suit donum
supernaturale Eccl. sect. 2. Θ. 2.
Imagines sanctorum honorandas. Melth. Conf. c. 15. Dei Imagines et effigies ib. et Cass. cons. ad art. 21. de sanctorum saltem imagin. Christi et Mariae
Lutherus c. 1. eas pictas et sculptas quae
Lutherus c. 1. et Cass. ad art.
21. f. 119. 120. 123. colendas esse cultu
decenti et religioso neque servili.
Luther. c. 1. Ii oscul. ib. et ita veteres Christiani coluere Imagines ob
Catholicos. Cass. cons. ad art. 21.
Galli et Germani Cass. c. 1.
Crux jure osculatur v. T. Crux.
Cereis Imaginum ornatis sanctum
per alendi. Cass. cons. ad art. 21.
Indulgentiae ratione reliquiarum sanctorum non
vendi. Luther. Conf. c. 17. f.
Infantibus data est Eucharistia in V. Ecclesia olim (?)
ad omni vecti dant v. T. Euch.
Infantes non baptizati v. T. Bapt.
Infantes fidei capaces v. T. Fides.

Judaei ante primum Judicium convertentur ad fidem
Christianam Eccl. sect. 4. Θ. XI. n. 17. Judaei
hodierni non Idololatrae sect. 2.
Θ. 8. Judaei V. T. invocarunt
deum ut Patrem, ut Christiani nos, sed
simplice in nomine Christi oramus Eccl.
sect. 2. Θ. 4. Cur deus elegit sibi
populum Judaicum in V. T. Luther.
Conf. c. 3.
Justificatio per solam fidem Justifi. cum Christiani Cass.
cons. ad art. 4. Justificatio non in sola
remissione peccatorum sed in renovatione
interioris hominis consistit ib. Justificati non alii
sunt homines renati atque baptizandi
ad art. 6. Et B. O. Justificati aut
vivificati ad art. 20.

L

Liberum Arbitrium v. T. Arbitrium Liberum.

M.

Mahumetani [illegible] idololatrae Eccl. hist. 2. c. 8.

Maria nata [illegible] Orig. Cristop. Conf. c. 17. Calixtus de cultu Mariae [illegible] usq 37. [illegible] conceptione [illegible] Cristop. Conf. c. 17. Maria [illegible] Calix. c. 1. §14. 15. 16. 17. 18. [illegible] Maria [illegible] e adoranda [illegible] §19. 20. 21. [illegible] forte [illegible] §. 41. 43. 44. 45. 46. usq 56.

Missa [illegible]

Monachorum ordines [illegible] Cristop. Conf. c. 19 [illegible] ib. [illegible] Cass. conf. [illegible]

[illegible] mortuis orandum. Eccl. hist. 2. c. X. [illegible] de [illegible] c. XI. Hildebr. tr. de precib. [illegible] defunctis [illegible] Eccl. c. 1. §. 2 usq 9. [illegible] nulla [illegible] beatitudine [illegible] in coelo [illegible] Cristop. Conf. c. 20. De missis [illegible] mortuis [illegible] c. XI. Hildebr. tr. de [illegible] missis defunctis [illegible] ib. [illegible] de [illegible]

N.

Ritus Nuptiales Graecorum. Cristop. Conf. c. 12. [illegible] nuptias. Cristop. c. 1.

O

Oleum in bapt. adhibitum Cristop. Conf. c. 1. [illegible] B. O. ad salutem [illegible] in fine [illegible] Eccl. hist. 2. c. 1. B. O. [illegible] salutem c. 1. §1. 2. B. O. [illegible] ad salutem Cristop. Conf. c. 6. [illegible] B. O. [illegible]

In orationib. ad Orientem [illegible] de [illegible] orat. [illegible] Orantium [illegible] Cristop. Conf. c. 22. [illegible] Orig. [illegible]

(c)

DE DEFINITIONE HÆRETICI

EXERCITATIONES SEPTEM, CONSCRIPTÆ

A

M. MELCHIORE ZEIDLERO
S. Theol. in Academiâ Regiomontanâ P. P.
Secund. & Concionatore Aulico,
h. t. Facultatis suæ
Decano.

Regiomonti typis excudebat Paschalis Mensenius
Anno M. DC. LXXIII.

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. ERNESTO BOGUSLAO,

CROII ET ARESCOTTI
DUCI,
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI,
MARCHIONI HAURÆI,
COMITI
IN FONTENOY, BAYON ET DOMP-
MARTIN, NEOGARDIÆ ET
MASSOVIÆ &c. &c. &c.
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI,
PER PRUSSIAM DUCALEM
ET POMERANIAM CITERIOREM,
LOCUM TENENTI,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,
GRATIAM A DEO OMNIGENAMQUE
FELICITATEM!

SERE-



ILLUSTRISSIME AC CELSISSIME

PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,



NOn malè Cyprianus lib. 4 Epist. 2: *Novi*, inquit, *hoc semper Diaboli opus esse, ut servos DEI mendacio laceret & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.* A primordijs namqve Ecclesiæ reperti fuere, qvi etiam optimè dicta & facta Christianorum in pejorem partem trahere planè non reformidarent. Despiciebant illi Deos, qvos Pagani colebant, visibiles, fugabantq;, relicto solius veri atqve viventis Dei cultu, sed hinc ἄθεοι fuere nuncupati, qvasi nec Deum haberent, nec colerent Nu-

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. ERNESTO BOGUSLAO,

CROII ET ARESCOTTI
DUCI,
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI,
MARCHIONI HAURÆI,
COMITI
IN FONTENOY, BAYON ET DOMP-
MARTIN, NEOGARDIÆ ET
MASSOVIÆ &c. &c. &c.
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI,
PER PRUSSIAM DUCALEM
ET POMERANIAM CITERIOREM,
LOCUM TENENTI,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,
GRATIAM A DEO OMNIGENAMQVE
FELICITATEM!

SERE-



ILLUSTRISSIME AC CELSISSIME
PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,



Non malè Cyprianus lib. 4 Epist. 2: *Novi*, inquit, *hoc semper Diaboli opus esse, ut servos DEI mendacio laceret & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.* A primordijs namqve Ecclesiæ reperti fuere, qvi etiam optimè dicta & facta Christianorum in pejorem partem trahere planè non reformidarent. Despiciebant illi Deos, qvos Pagani colebant, visibiles, fugabantq;, relicto solius veri atqve viventis Dei cultu, sed hinc ἄθεοι fuere nuncupati, qvasi nec Deum haberent, nec colerent Nu-

men. Testis est Justinus Apol. 2. Sic enim ille: Ἄθεοι, inqvit, κεκλήμεθα, *Athei cognominamur*, videlicet à Paganis. Tertullianus in Apologetico c. 10 hos ita alloqvitur: *Deos, inqvitis, non colitis.* Arnobius qvoq; lib. 3: *Impios nos vocatis, irreligiosos aut atheos.* Minutius Felix insuper in Octavio sic eosdem de Christianis inducit loqventes: *Ampla ut busta despiciunt, Deos despuunt, rident sacra.* Deniqve & Julianus Christianismum ἀθεότητα appellasse ex Socrate constat lib. 5 Hist. c. 15. Renuebant adorare Cæsarum statuas; sed hinc criminis LÆSÆ MAJESTATIS fuere postulati. Qva de re iterum Tertullianus in Apolog. cap. 2: *Christianum hominem omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, totius naturæ inimicum existimas.* Et c. 10: *Sacrilegii & majestatis rei convenimur.* Adorabant Christum, æternum æterni Patris Filium; sed qvod hic asino in urbem Jerosolymam vectus esset, qvasi caput ASININUM venerarentur, fuerũt accusati. Sic enim de ijs Cæcilius apud Minutium Felicem: *Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum ineptâ nescio qvâ persvasione venerari.* Et Tertullianus in Apolog. c. 16: *Ita vulgatum est, caput asininum esse Deum nostrum.* CRUCICOLAS qvoqve eosdem appellarunt, qvod Christum crucifi-

xum

xum colerent, teste Anshelmo, cujus ex libro de Virginitate hæc sunt verba: *Temporibus Diocletiani & Maximiani Olympiade LXVII edictis crudelibus Catholicæ fidei cultores, qvos Christicolas & Crucicolas nuncupabant, ad thurificandum statuas Ethnicorum cogebantur.* Oraturi ad Solem sese convertebant Orientem; ast inde HELIOLATRIA ipsis fuit impacta. Quam calumniā Tertullianus hoc modo recenset in Apol. c. 16: *Alij planè humanius & verisimilius Solem credunt Deum nostrum. Suspicio inde est, qvod innotuerit nos ad Orientis regionem precari.* Ulterius memores præcepti Christi: *Hoc præcipio vobis, ut diligatis vos mutuo: per hoc cognoscent omnes, discipulos meos esse vos, si charitatem habueritis inter vos mutuam*, Joh. 13, 34, 35, blando se invicem fratrum & sororum nomine appellabant; sed hinc promiscuè ipsis VENUS vagaqve libido & NUPTIÆ INCESTÆ intentatæ. *Passim inter eos*, dicebant Pagani apud Minutium Causidicum, *velut qvædam libidinum religio miscetur, ac se promiscuè appellant fratres, & sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana & demens superstitio sceleribus gloriatur.* Porrò ut vitam, qvā in ipsis per Spiritum suum excitaverat Christus, conservarent, conveniebant crebrò ad usum Eu-

 chari-

charistiæ, ut ederent corpus & biberent sangvinem ejus, animis suis versantes verba ista Servatoris: *Nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis*, Joh. 6.53. Ast ideo sparsa fuit in eos calumnia, qvasi INFANTICIDÆ & ANTHROPOPHAGI essent. *De initiandis tirunculis*, ait rursum Cæcilius apud Minutium, *fabula tàm detestanda, qvàm nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuatur. Is infans à tirunculo farris superficie, qvasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisq; vulneribus occiditur: hujus, proh nefas! sitienter sangvinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hâc fœderantur hostiâ, hâc conscientiâ sceleris ad silentium mutuum pignerantur. Hæc sacra sacrilegiis omnibus tetriora.* Theophilus Antiochenus crimen hoc cum priori conjungit lib. 3 ad Autolycum scribens: *Ajunt Pagani nostras uxores esse communes, & promiscuo concubitu nos uti criminantur. His accedit, qvod crimini nobis vertunt, qvasi nec à propriis sororibus nobis temperemus, verùm & has incestâ libidine temerario ausu violemus. Istud præterea & crudelissimum & immanissimum est, quod nobis intendunt crimen, dum impio ore garriunt, nos vesci humanis carnibus.* Ulterius cum in exomologesi sese prosternerent, sivè, ut

Ter-

Tertullianus de Pœnitentiâ loqvitur, *Presbyteris advolverentur & caris Dei adgenicularentur*, cujus exemplum in Natali quodam, à Theodoti coriarij hæresi resipiscente, extat apud Eusebium lib. 5 Hist. Eccl. c. ult. GENITALIA eorum adorare dicti fuerunt. Sic enim rursum Cæcilius: *Ferunt eos ipsius antistitis & sacerdotis colere genitalia, & qvasi parentis sui adorare naturam.* Tandem cum nec Judæorum ritus observarent, nec gentilium superstitionem amplecterentur, in quibusdam interim cum utrisque facerent, NOVELLA iis RELIGIO, FACTIONES item CONFUSIOQVE RELIGIONUM fuerunt objectæ. Sic enim Arnobius lib. 2 contra gentes: *Objectare nobis consvevistis, novellam esse religionem nostram & ante dies natam propemodum paucos, neq; nos potuisse antiqvam & patriam linqvere & in barbaros ritus peregrinosq; perduci.* Cæcilius rursum apud Minutium Christianos *homines* vocat *deploratæ, inlicitæ ac desperatæ factionis.* Denique Julianus apud Cyrillum Alexandrinum lib. 7 adversus Julianum eosdem ita alloquitur: *Si qvis qvod verum sit, de vobis dispicere velit, inveniet vestram impietatem, cum ex audaciâ Judaicâ, tum ex gentilium indifferentiâ & confusione conflatam.* Sic calumniis ab INFIDELIBUS impetiti fuere primitivæ Eccle-

siæ

siæ alumni, quas tamen Justinus, Arnobius, Tertullianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Cyrillus Alexandrinus, Minutius Felix aliiq; per libellos Apologeticos fortiter retuderunt. Sed nec pepercerunt illis, cumprimis Catholicis Doctoribus, ij, qui virus suum, sub NOMINE CHRISTIANO & PIETATE SIMULATA absconsum, alijs propinabant. Ut enim eos exosos alijs redderent, non solùm variis mendaciis personam eorum onerabant, sed & doctrinæ ipsorum maculam aspergere laborabant, suam verè Catholicam esse prætendentes, illorum autem noviter fictam, quin hæreticam & cane pejus ac angve vitandam. Nempe cujus ipsimet rei erant, id in alios devolvere conabantur, qvos nocere sibi omnium maximè posse nescii haud erant. *In tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ appellationis infament*, ait de barbaris, Arianorum hæresi infectis, Salvianus lib. 5 de Gubernat. Dei. A Doctoribus namq; suis acceperant, hæreticos esse, qui ipsorum hæresin oppugnatum irent. Singuli enim quique cœtus hæreticorum *se* potissimùm *Christianos & suam esse Catholicam Ecclesiam putant*, quemadmodum & Lactantius scribit lib. 4 de verâ Sapientiâ c. 30. Et Lucas

Tuden-

Tudensis lib. 3 adversus Albingensium errores c. 11 de hæreticis scribit: *Qui fervore Catholico ducti contra illos invincibiles persistunt, illos suis mendaciis vitabiles hominibus reddunt, ut etiam Ecclesiæ pastoribus nonnunqvam faciant eos esse subjectos.* Eandem fortunam Catholici haud rarò experti fuere ab hominibus prurigine SCINDENDI Ecclesiam agitatis. Id enim SCHISMATICIS familiare est, ut figmenta cerebri sui, sive dogmata, recens à se excogitata, doctrinæ necessariæ assuant, eaque aliis, ceu necessaria ad salutem proponant, indeq; recipere ea detrectantibus hæreseos infamiam inurant, ne sine causâ separasse se ab illis videantur: sicut è contrario Catholici facilè alios, etiã diversa ab ipsis sentientes, tolerant, dummodò fundamentum maneat salvum. *Lege enim fidei manente, cætera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usq; in finem gratiâ Dei,* ceu Tertullianus ait lib. de velandis virginibus c. 1. *Apud antecessores nostros,* inqvit & Cyprianus Epist. 52. *quidam de Episcopis istic in provinciâ nostrâ dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen à Coëpiscoporum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesiâ separaretur. Manente concordiæ*

 vincu-

vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus. Id laudat etiam Augustinus, atq; in similibus casibus idem vult observari lib. 2 de Baptismo c. 4 & 5: *Hoc*, ait, *facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora qværuntur, & propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraternâ disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisâ insanabile maneat vulnus erroris. Et ideò plerumque doctioribus aliqvid minus revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in quâ fructus major est, comprobetur, vel qvomodo teneant unitatem, cum in rebus obscurioribus diversa sentiunt, vel qvomodo accipiant veritatem, cum contra id, qvod sentiebant, declaratum esse cognoscunt.* Et postea: *Homines sumus. Unde aliqvid aliter sapere, qvàm se res habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam vel invidendi melioribus usqve ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, Diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere qvàm res se habet, angelica perfectio est. Qvia itaque homines sumus, sed spe Angeli sumus, qvibus æqvales in resurrectione futuri sumus, quamdiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem Diaboli non habeamus. Ideò dicit Apostolus: Tentatio vos non apprehendit, nisi humana. Humanum est ergò aliquid aliter, qvàm se res habet, sapere. Propterea dicit alio loco: Quotqvot ergò perfecti, hoc sapiamus &, si qvid aliter*

sapitis,

sapitis, hoc quoq; vobis DEus revelabit. Quibus autem revelat, cum voluerit, sive in hac vitâ, sive post hanc vitam, nisi ambulantibus in viâ pacis & in nullam præcisionem deviantibus? Non qvales isti sunt, qui viam pacis non cognoverunt, nec propter aliud unitatis vinculum diruperunt. Ideoq; Apostolus cum dixisset, Et si quid aliter sapitis, hoc quoq; vobis Deus revelabit, ne putarent prâter viam pacis, qvod aliter sapiebant, sibi posse revelari, continuò addidit: Verumtamen in qvod pervenimus, in eo ambulemus. Qvibus gemina habet & Basilius Seleuciensis Orat. I de Verbi incarnat: *Ante omnia,* inquit, *Ecclesiæ corpus indivisum conservemus, concordiæq; sensum inviolatum custodiamus. Summâ autem opus est cautione, ne dum rectam fidem ab injuriâ vindicare contendimus, in mutuas injurias & inimicitias armemur, adeoq; sub pietatis obtentu malum aliqvod faciamus; ac ne dum fœda & noxia dogmata acrius persequimur, ipsi à rectis excidamus. Hoc enim agere nihil aliud esset, qvàm incertum lucrum cum gravi damno consectari, ipsamq; veritatem in fraudem adducere.* Id observare debebant omnes: ast nihil minus faciunt, qvi scissionibus delectantur, qvàm hoc. Superbiâ enim cum turgeant & fastu, omne id, qvod dicunt, accipi volunt haud aliter, qvàm si ex tripode esset dictum, cumq; inveniunt sibi contradicentes, actutum eos, ut hæreticos, condemnant & à communione sua excludunt. Inde schisma illud, qvod Sec. III excitavit Stephanus, Episcopus Romanus, in Cyprianum aliosq;, qui cum Cypriano sentie-

ſentiebant, Epiſcopos excommunicationis fulmen vibrans, qvod eam, qvam ipſe de baptiſmo hæreticorum fovebat, ſententiā, nollent amplecti. Qvam ob cauſam gravi eum non pauci Catholicorum Epiſcoporum perſtrinxerūt cenſurâ, interq; eos & Firmilianus Cæſarienſis in Cappadociâ Epiſcopus, vir doctiſſimus & ſanctisſimus, in Epiſtolâ ad Cyprianum, quæ inter hujus Epiſtolas eſt ſeptuageſima qvinta, inter alia ita Stephanum iſtum alloqvens: *Volentibus vivere cauſa mortis fuiſti, & inſuper indignaris. -- Niſi qvod imperitos etiam animoſos atq; iracundos eſſe manifeſtum eſt, dum per inopiam conſilii & ſermonis ad iracundiam facilè vertuntur, ut de nullo alio magis, qvàm de te dicat Scriptura divina: Homo animoſus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & diſſenſiones qvantas paraſti per Eccleſias totius mundi? Peccatum verò qvàm magnum tibi exaggeraſti, qvando Te à tot gregibus ſcidiſti: Excidiſti enim te ipſum. Noli te fallere. Siqvidem ille eſt verè ſchiſmaticus, qvi ſe à communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas omnes à Te abſtinere poſſe, ſolum Te ab omnibus abſtinuiſti.* Ex eodem fonte etiam tempore Gregorii Nazianzeni non exiguæ contentiones ac diſſidia, in pernicioſum ſchiſma deſinentia, manarunt. Qvod ipſemet Orat. 3 de pace deplorat his verbis: *Bellorum finis non eſt, non iis duntaxat, qvi diverſa ſentiunt, atq; in fidei doctrinâ diſſident (minus enim acerbum id eſſet, ac zelus, res laudabilis, modò intra fines ſuos conſiſtat, id excuſaret) verùm iis*

qvoq;

qvoq; qvi eandem fidem profitentur, atq; adversus eosdem, & pro iisdem confligtantur. Hoc enim illud est omnium improbissimum aut maximè miserandum. Et qvæ huic rei causa est? Dominandi amor fortasse, vel opum cupiditas, vel livor, vel odium, vel superbia, vel aliqvid eorum, qvibus ne eos qvidem, qui Deum nullum putant, laborare conspicimus. Qvotq; scitum & lepidum est, ipsa calculorum inversio est. Nam cum deprehendimur pij atq; orthodoxi sumus, falsoq; ad veritatem confugimus, tanqvàm pro fide contendentes: idq; unum, ut in malis laude dignum, imò turpe imprimis facimus, qvod vitium erubescentes ad speciosius honestiusq; nomen, hoc est, ad pietatem transimus. Pertinent qvoq; huc ista Hieronymi ex Comm. in caput tertium Epistolæ ad Titum: *Freqventer accidit, ut habeamus pugnas legis, non ob desiderium veritatis, sed ob jactantiam gloriæ, dum apud eos, qui audiunt, docti volumus existimari, aut certè ex hoc rumusculo turpia sectamur lucra. Qvid enim prodest spumantibus labiis & latratu garrire canum, cum simplex & moderata responsio aut possit te placare, si vera est; aut, si falsa, leniter à te & placabiliter emendari.* Utinam tale qvid hodie non amplius eveniret! Sed qvid melius de ultimis temporibus sperare liceret, de qvibus Servator ipse prædixit, fore, ut *in cordibus plerorumq; charitas refrigescat.* Matth. 24, 12? Verissimè id dictum esse experientia comprobat quotidiana. Nunqvam enim tam miserandis modis Ecclesia Christi fuit lacerata, atqve in tam varias partes scissa, qvàm hoc ipso seculo. Unde verò

hoc nisi ex defectu charitatis? *Nulli enim schismata facerent, nisi fraterno odio excæcarentur*, ut bene Augustinus lib. 1 de Baptismo c. 11. Impletur illud, qvod Origenes, fatidico hac in re Spiritu sine dubio actus, ante tot seculorum decursum Tract. 28 in Matth. prænuntiavit, ita scribens: *In dissensionibus & qvæstionibus pauci erunt intenti, ut veritatem plenius attingant. Plures autem scandalizabuntur & cadent ab eâ proditores & accusatores effecti alterutrum ob dissensionem in dogmatibus veritatis, qvam non omnes apprehendere possunt. Qvæ causa existet mutui odij. Cumq; qvæstiones hujusmodi in plures venerint, multi qvidem non sanè de futuris tradent sermonem, sed ne Prophetias qvidem eo, qvo par erat, modo interpretabuntur. -- Eritq; paucus admodum eorum, qui veritatem investigent, numerus. Falsa autem dogmata à proposito veritatis fontem qvidem solvent, eos autem, qvi aures habent prurientes, multiplicabunt ad delectamentum eorum loqventes iniquitatem legi contrariam, & tantum nocebunt verba docentium contraria, ut etiam ferventem dilectionem, qvæ prius fuerat in simplicitate fidei, refrigescere factura sint existimatione comparationis divinorum mysteriorum & veritatis.* Hæc singulis agi diebus nemo facilè inficiasi verit, nisi fortè qui negat Solem in meridie lucere. Unde fit, ut apud plerosq; pessimè omnium audiant, qui pacis & concordiæ Ecclesiasticæ promovendæ studio tenentur. Nempe evenit iis, qvod Gregorius Nazianzenus dicto loco ait: *Qvicunq; paci student mediosq; se profitentur, ab utrisq;*

malè

male mulctantur, utpote qvi vel contemtui sint, vel etiam bello lacessuntur. Qvod etiam semetipsum expertum esse mox indicat, cùm subdit: *A quâ parte cum nos quoq; hodierno die stemus, qvi hæc reprehendimus ac propter ea cathedram certaminis & invidiæ plenam accepimus, haud mirandum erit, si ab utrisq; conteramur, ac post multos labores & sudores de medio submoveamur, ut sublato intermedio pariete atq; omni obstaculo comminus jam atq; omni animorum impetu sese mutuò convulnerent.* Experti quoq; idem fuere Catholici à Donatistis, prout testatur Augustinus Comment. in Psal. 120 scribens: *Nos*, Catholici, *istis*, Donatistis, *dicimus: Amate pacem, diligite unitatem. Nescitis, à quàm multis bonis separemini, dum qvasi malis calumniamini?* Sed qvid illi ad hæc? *Furiunt*, inqvit Augustinus, *sæviunt, qvando ista dicimus: imò qværunt & mortificare nos. Apparuerunt sæpe impetus eorum, apparuerunt insidiæ.* Fit qvoq; hinc, ut Ecclesiæ aliqvæ integræ hæreseos à malevolis insimulentur, qvæ tamen nunqã criminis istius reæ factæ. Exempla non est ut longius accersamus. Subeunt enim ejusmodi fortunam vel ipsæ nostræ Ecclesiæ, qvippe qvæ ab adversariis non paucarum à Christiano orbe damnatarũ novoq; paxillo suspensarum hæreseon postulatur passim, saltem, ut in vulgus exosæ, vel veterum ad minimum errorum suspectæ reddantur. a quâ suspicione utut jam dudum Nostrates & quidem abundè satis easdem liberarint, cebit tamen & mihi saltem spicilegium instituere post messem. Qvia autem optatam metam mihi contingere haud licet absq; prævia enodatione naturæ hæreseos,

in hanc

in hanc ante omnia inqvirendum mihi esse duxi, qvod aliqvot Exercitationibus à me pro tenuitate virium fuit tentatum. Eas autem cur Tuo, CELSISSIME PRINCEPS, Illustrissimo Nomini inscriberem, non una me impulit causa. Tanta enim polles etiam divinarū rerū doctrinâ & scientiâ, ut pares hodie in tanto fastigio paucos, superiorem vix qvemqvā agnoscas. Accedunt tot Tua in me collata beneficia, quæ ut vel aliqvod saltem grati animi mei monumentum extaret, idem efflagitarunt. Suscipe ergô, CLEMENTISSIME PRINCEPS, serenâ fronte exiguū hoc, quod debitâ submissione ad pedes Tuos depono, opusculū, idq; patrocinio tuo gratiosissimè dignare. Calcar id mihi addet ad majora tentanda, dummodò Deus vires sufficiat atq; confirmet. Is ILLUSTRISSIMAM TUAM CELSITUDINEM, magno Ecclesiæ & Reipublicæ, cumprimis & literariæ, bono salvam & sospitem omniq; maximarum benedictionum genere qvàm largissimè cumulatam ad seros usq; annos conservet, qvod ex animo optat & vovet

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS

Regiomonti Boruss.
III. Idus Junij
Anno 1673

devotissimus & subjectissimus

M. MELCHIOR Zeidler.



Disput. I. Respondente DAVIDE CASPARI, Regiomontano Borusso.

I.

HÆRETICI dicuntur ab αἱρέσει. Αἵρεσις autem in genere idem est, qvod optio vel electio. Qvo sensu voce hâc utitur Socrates Orat: de pace, qvum ait plerosq; hallucinari περὶ τὰς αἱρέσεις τῶν πραγμάτων, *in eligendarum rerum judicio.* Thucydides item lib. 2. his verbis: Γίγνεταί μοι αἵρεσις, Qvi- *Optio mihi datur*, nempe, ut eligam, qvod fuerit visum. bus congruit, qvod Hesychius habet in Lexico, dicens: Αἵρεσις, βȣ́λησις. Solet enim & βȣ́λησις qvandoq; pro electione poni. In specie autem αἵρεσις nonnunqvam idem notat, qvod certum vitæ consilium. Ita hanc vocem usurpat Athenæus lib. 5. Dipnosophist: c. 4 de Helena, Jovis gnatâ, dicens, qvod texendi operam consvetam fuerit aggressa non qvidem, ut famam gratiamvè captaret, ἀλλ᾽ οἴκοθεν ἔχȣσα τὴν τοιαύτην αἵρεσιν, sed *qvod domi hanc didicisset vitæ rationem.* Cicero qvoq; eâdem significatione *hæresin Vestorianam* libr. 14 Epistolarum ad Atticum Epist: 16 nominat illud vitæ consilium, qvo pecuniæ numerandæ qvis magis est intentus, qvàm disputationibus. Erat enim Vestorius homo *à Dialecticis remotus, in Arithmeticis satis exercitatus*, ut idem scribit eodem Epistolarum libro Epistol. 13. Latinis αἵρεσις hoc intellectu Secta solet appellari. Hunc enim sensum vox ista iterum obtinet apud Ciceronem Orat. 24 pro C. Flacco n. 104 istis verbis: *Qvotusqvis q́; est, qvi hanc in Republicâ sectam seqvatur?* id est, hoc vitæ genus, qvod eo omnia dirigit, ut saluti Reipublicæ consulatur. Et lib. 2. de naturâ Deorum num: 57: *Omnis natura*, ait, (suo

modo) *artificiosa est, qvod habet qvasi viam qvandam & sectam, qvam seqvatur.* Pari modo & Ausonius: *Qvi sim, qvâ sectâ, lare & patriâ,* hoc est, qvo vitæ instituendi consilio. Sed & Solon apud eundem: *Qvod dixisse Crœso Regi existimor, id omnis hominum secta sibi dictū putet,* id est, ordo & status, qvodcunq; vitæ genus sibi elegerit. Justinianus qvoqve in eandem sententiam §. ult: Instit: de Legatis: *Hujusmodi autem,* inqvit, *testatorum voluntates* (qvibus scilicet aut impossibilia, aut legibus interdicta, aut probrosa continētur) *secta meorum temporum non patitur,* id est, hoc vitæ institutum, qvod religiosi viri seqvuntur. Sic namq; intellexit hoc & Theophilus Græcus Institutionum Interpres, scribens: *Tales enim testatorum voluntates obtinere,* ἀλλότριον εἶναι τῶν εὐσεβῶν αὐτοῦ χρόνων τῆς βασιλείας ἐθέσπισε, *à ratione religiosorum sui imperij temporum alienum esse sancivit.* Utitur verò hâc loqvendi formulâ eodem modo & Alexander Imperator lege 2 C: ad legem Juliam majestatis; nec non Gordianus l. 2 C: de Delatoribus. Tandem adhuc specialius αἵρεσις dictum olim fuit institutum certorum qvorundam dogmatum seqvendorum, qvæ congruant tàm sibi invicem, qvàm τοῖς φαινομένοις, hoc est, iis, qvæ intellectui alicujus primum se ingerunt atq; assensum ejus eblandiuntur. Qvâ de re ex Dogmaticorum sensu Sextus Empiricus disserens lib. 1 Pyrrh: Hypotypos. c. 8 hæresin, ait, esse πρόσκλισιν δόγμασι πολλοῖς ἀκολουθίαν ἔχουσι, πρὸς ἄλληλά τε καὶ φαινόμενα, *inclinationem ad dogmata plura, qvæ convenientiam inter se & cum phænomenis habeant.* Non aliter de eâdem judicavit & Galenus, qvi & ipse αἵρεσιν lib. de optima sectâ ad Thrasybulum definit πρόσκλισιν (ita namq; sine dubio ibi legendum est, non πρόσβλησιν) δογμάτων πολλῶν πρὸς ἄλληλα συμφώνων. Adstipulatur autem his & Clemens Alexandrinus libr. 8 Stromatum. Sic namq; ille scribit: αἵρεσις ἐστὶ πρόσκλισις δογ-

μάτων,

μάτων, ἢ, ὥς τινες πρόσκλισις δόγμασι πολλοῖς ἀκολουθίαν πρὸς ἄλληλα
καὶ τὰ φαινόμενα περιέχουσα, πρὸς τὸ εὖ ζῆν συντείνουσα, *Hæresis est*
dogmatum inclinatio, aut, ut qvidam dicunt, inclinatio, qvæ
multis dogmatibus præbet convenientiam s. consequentiam in-
ter se & ea, qvæ videntur, tendens ad rectè vivendum. Καὶ
τὸ μὲν δόγμα, pergit, ἐστὶ κατάληψίς τις λογική. κατάληψις δὲ ἕξις
καὶ συγκατάθεσις τῆς διανοίας, *& dogma qvidem est qvædam com-*
prehensio. Comprehensio autem est habitus & assensus ratio-
nis. Deniqve Diogenes Laërtius procemio in vitas Philoso-
phorum: Αἵρεσιν, inqvit, λέγομεν τὴν λόγῳ τινὶ κατὰ τὸ φαινόμενον
ἀκολουθοῦσαν, ἢ δοκοῦσαν ἀκολουθεῖν, *Hæresin dicimus, qvæ certam*
qvandam iis, qvæ videntur, congruentem rationem vel seqvi-
tur, vel seqvi videtur. Idem repetit in Lexico suo & Suidas.
Hoc sensu Hippolytus apud modò laudatum Diogenem codẽ
loco novem numerat hæreses Philosophorum, ex qvibus prin-
cipes sunt qvatuor istæ, Academica, Peripatetica, Stoica, & E-
picuréa. Cicero qvoq; in eandem sententiam lib. 15 Episto-
larum ad familiares Epist. 16: *In istâ ipsâ*, ait, αἱρέσει (Epicuri
videlicet) *metuo, ne plus nervorum sit, qvàm ego putârim, si*
modò eam tu probas. Epiphanius qvoq; diversas Philosopho-
rum sententias vocat αἱρέσεις. Et Isidorus libri 4. Orig. caput 4
inscripsit de tribus hæresibus Medicorum. Pertinent qvoqve
huc ista Hieronymi ex l. 2 Comm: in Epist. ad Galatas cap. 5:
Hæresis Græcè ab electione dicitur, qvod scilicet eam unusqvisq;
sibi eligat disciplinam, qvam putat esse meliorem. Qvod re-
petit & Comm: in Epist: ad Tit. 3. Pariter & Isidorus Hispa-
lensis lib. 8 Orig. c. 3: *Hæresis Græcè ab electione dicitur, qvod*
scilicet unusqvisq; id sibi eligat, qvod melius sibi esse videtur,
ut Philosophi Peripatetici, Academici, Epicurei & Stoici. De-
niqve Beda Comm: in Act. 5: *Hæresis Græcè ab electione vo-*
catur, qvia qvisq; sibi, spretis aliorum dictis, qvid seqvendum

putaverit, eligat. Utuntur verò hoc ſenſu & Latini paſſim vocabulo Sectæ. Sic enim illud uſurpat Cicero lib. de claris Oratoribus n. 44: *Brutus ex vetere Academiâ ſectam Philoſophorum ſeqvutus eſt.* Eodem modo & in Corpore civili rurſum accipitur, utpote l. 2 de origine juris D. §. Hi duo. Sic enim ibi Pomponius de Atteio & Labeone verba faciens: *Hi duo,* inqvit, *primum veluti diverſas ſectas fecerunt.* Et l. 8. de vacatione & excuſatione munerum §. 4: *Philoſophis, qvi ſe freqventes atq; utiles per eandem ſectam contendentibus præbent, tutelas --- remitti placuit.*

II. Jam conſtat, qvod τὰ φαινόμενα ſeu ea, qvæ videntur aliqvibus, non unius ſint generis. Qvædam enim ita videntur, ut fundamentum in re ipſâ habeant, adeòq; ſimul vera ſint; qvædam autem ſunt φαινόμενα tantùm, qvod nihil habeant reipſa iis reſpondens. Qvæ hinc & Platoni lib. 10 de Republic: abſolutè φαινόμενα dicuntur. Φαινόμενα enim ibi vocat, ὄ μέν τοι ὄντα γέπω τῇ ἀληθείᾳ, ἀντὶ τῦ φαντασίαν ἀποτελῦντα ὄ μέν τοιγε ὄντα, ut Suidas habet in Lexico, *ea, qvæ videntur qvidem, reverâ tamen non ſunt, ſive phantaſiam qvidem efficiunt, ſed tamen non ſunt,* videlicet talia, qvalia videntur. Qvod mox illuſtrat & verbis Ariſtophanis ex Acharn: Εἶναί μὲν ὅσπερ εἰμί. φαίνεσθαι δὲ μή, *eſſe qvidem* (cupio) *qvalis ſum, aſt non videri,* hoc eſt, ut exponit Suidas: μὴ ἀλλάξαι τὴν φύσιν, ἀλλὰ τὴν μορφήν, *non mutare naturam, ſed formam.* Inde tam hæreſεως, qvàm ſectæ vox ex eorum eſt numero, qvæ Græcis μέσα, media, vocantur. Sic verò nominantur ab illis vocabula, qvæ ad mala pariter ac bona ſignificanda adhibentur, ut ſunt dolus, tempeſtas, pharmacum ſive venenum. *Veteres* enim, inqvit Ulpianus lib. 1. ff. de dolo malo, *dolum etiam bonum dicebant, & pro ſolertiâ hoc nomen accipiebant, maximè ſi adverſus hoſtem latronemvè*

qvis

qvis machinetur. Et Basilius Magnus in Proverb. Salom. ait esse qvandam καλὴν καὶ ἐπαινετὴν πανουργίαν. Tempestas autem non procellam tantùm signat, sed interdum & pro aëre sereno usurpatur, veluti apud Cæsarem lib. 4 de Bello Gallico: *Nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertiâ ferè vigiliâ solvit.* Deniqve φάρμακα, inqvit Homerus Odyss. δ v. 230, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, *venena multa qvidem bona mixta, multa autem mala.* Unde Cajus JCtus lege 236 D. de verborum significat: *Qvi venenum dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum; nam & medicamenta venena sunt, qvia eo nomine omne continetur, qvod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum esset, mutat, cum id, qvod nos venenum appellamus, Græci φάρμακον dicunt, apud illos qvoq; tam medicamenta, qvàm qvæ nocent, hoc nomine continentur, unde adjectione alterius nomine distinctio fit.* Agit de hujusmodi vocabulis & Aulus Gellius lib. 12 Noct. Attic. c. 9 atq; ita scribit: *Est plurifariam videre atq; animadvertere in veteribus scriptis, pleraq; vocabula, qvæ nunc in sermonibus vulgi unam certamq; rem demonstrant, ita fuisse media & communia, ut significare & capere possent duas inter se res contrarias: ex qvibus qvædam satis nota sunt, ut tempestas, valetudo, facinus, dolus, gratia, industria: hæc autem ferè jam vulgatum est ancipitia esse & utroq; versus dici posse. Periculum etiam, & venenum, & contagium, non, uti nunc dicuntur, pro malis tantùm dicta esse, multum exemplorum hujusmodi reperies.* Ex horum ergò classe & vox hæreseωs est, itemq; vox Sectæ. In utramq; enim partem & ipsæ accipiuntur, in bonam, inqvam, & malam. Certè in bonam partem voce hæreseωs usus est Cicero, qvando de Catone Stoico verba faciens: *Est*, inqvit, *in eâ heresi, qvæ nullum seqvitur florem orationis.* Erat namq; & ipse Cicero Stoicorum sectæ addictus. Nec malo sensu ad-

 hibet

hibet vocem hanc Clemens Alexandrinus, qvando de Aristotele scribit: *Cum transiisset in Lycéum*, κτίσει τὴν περιπατητικὴν αἵρεσιν, *hæresin creat Peripateticam.* Qvod imitatus Augustinus lib. 8 de Civ. Dei c. 12 dicit, *Aristotelem plurimos discipulos in suam hæresin congregasse.* Sectæ autem vocabulum in bonâ significatione usurpat Macrobius, cum *Homericam sectam* dicit lib. 5 cap. 16.

III. Porrò factum pedetentim temporum successu, ut utraq; appellatio ad religionis negotium traheretur, atqve tam αἵρεσις qvam secta vocaretur peculiare circa illud institutum. Et qvidem ab initio itidem quodvis, sine discrimine, sivè laudabile, sivè probrosum. Sanè hoc sensu vox αἱρέσεως in ipsis etiam sacris literis usurpatur, veluti Act: 5, v. 7, ubi Evangelista: *Consurgens autem Pontifex maximus & omnes, qui cum ipso erant,* ἡ ὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδυκαίων, *qvæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt invidiâ.* Et cap. 26 v. 5 Paulus ait, *se vixisse, anteqvam Christianam religionem amplecteretur, Pharisæum* κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἱρέσεως θρησκείας Ιυδαίων, *secundum exqvisitissimam hæresin religionis Iudaicæ.* Sed & ipsa Christiana religio hoc nomine insignitur eodem Actuum Apostolorum libro c. 24 v. 14, ubi Apostolus apud Felicem, Præsidem Romanum, causam suam dicens: *Hoc*, inqvit, *tibi fateor, qvod secundum hanc viam, qvam hæresin vocant,* ἣν λέγυσιν αἵρεσιν, *ita colam patrium DEum, ut, qvi credam omnibus, qvæ in lege & Prophetis scripta sunt.* Ubi Syrus & Arabs simpliciter legerunt, κατὰ τὴν αἵρεσιν, ἣν λέγυσιν, *secundum hæresin, qvam vocant,* nullâ τῆς ὁδῦ mentione injectâ. Et c. 28 v. 22: *De eâ hæresi,* περὶ τῆς αἱρέσεως ταύτης, *notum est nobis, ubiq; ei contradici,* videlicet propter literas, non multum post abitum Christi ex terris à Synedrio scriptas, missis Legatis ad Synagogas, κηρύσσοντας,

ὅτι

ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινος Γαλιλαίου πλάνου, ut refert Justinus in Dialogo adversus Tryphonem. Qvo loco vocabulum αἱρέσεως qvidem in vitio positum est, in bonā autem partem idem, & qvidem de religione Christianâ, usurpatur vel ab ipso etiam adhuc Constantino Imperatore apud Eusebium lib. 1 o Hist. Eccles. c. 5: Apertè enim Christianam religionem vocat αἵρεσιν καθολικήν. Eodem verò modo & veteres Latini vocem Sectæ accipiunt. Tertullianus enim libro de pallio cap. ult. religionem Christianam disertè *divinam sectam* vocat *ac disciplinam*. In Apologetico autem c. 21 *sectam antiqvissimis Iudæorum instrumentis suffultam*. Cyprianus qvoq; ab hoc nomine non abhorret. Sic enim Epist. 23 ad Presbyteros & Diaconos, Romæ consistentes, qvæ aliàs qvarta est libri qvinti: *Celerinus Confessor, moderatus est & cautus, & humilitate ac timore sectæ nostræ verecundus.* Rursus Epist. 34 ad Clerum & plebem de Celerino Lectore ordinato, qvæ aliàs qvinta est libri qvarti, agens de Confessoribus: *In talibus servis lætatur Dominus, in ejusmodi Confessoribus gloriatur, qvorum secta & conversatio sic proficit ad præconium gloriæ, ut magisterium cæteris præbeat disciplinæ.* Deniq; præfat: in tertium librum Testimoniorum ad Qvirinum: *Petiisti*, inqvit, *ut ad instruendum te excerperem de Scripturis sanctis qvædam capitula, ad religiosam sectæ nostræ disciplinam pertinentia.* Porrò & Constantinus Imperator ad Helpidium l. 5. C. Theodos. de Episcopis, Ecclesiis & Clericis, Christianā religionem sectam vocat: *Comperimus*, ait, *qvosdam Ecclesiasticos & cæteros Catholicæ sectæ servientes à diversarum religionum hominibus ad lustrorum sacrificia celebranda compelli.* Honorius deniq; & Theodosius Imperatores in eandem sententiam: *Eos*, inqviunt, *qvi Catholicæ sectæ sunt inimici, intra palatia militare prohibemus*, l. 42 Cod: Theodos. de hæreti-

reticis. Et l. 6. ejusdem C. ne ſanctum baptiſma iteretur, *myſteria Catholicæ ſectæ ſacramenta* vocant.

IV. Sic ergò tàm hæreſeos, qvàm Sectæ vocabula pro indifferentibus antiqvitus fuére accepta; poſteà autem tranſiit ferè utraq; vox in odioſam ſignificationem. Cum enim homines plerumq; mala potiùs & prava, qvàm recta & bona ſeqvi ſoleant, pravitatem interim ſuam integumentis honeſtis occultent, fit pedetentim, ut in malis ſolùm habeantur vocabula, qvæ antè media erant & in bonis etiam adhibebantur. Conſtat id de voce Sophiſtæ. Qvin enim bonam etiam hæc vox antiqvitus habuerit ſignificationem, non facilè poteſt negari. Herodotus ſanè, ſatis antiqvus ſcriptor lib. 1, qvi Clionis præ ſe fert nomen, Solonem unum è ſeptem ſapientibus Sophiſtam expreſſè vocat, cæterosq; itidem eodem appellat nomine. Κατετραμμένων δὲ τούτων, inqvit, ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀκμαζούσας πλούτῳ, ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σόφισαὶ, καὶ δὴ καὶ Σόλων, *His ſubactis, & potentia Lydorum per Cræſum aucta, contulerunt ſe Sardis opibus florentes, tum cæteri omnes è Græcia Sophiſtæ, qvi eâ tempeſtate erant, pro ſe qvisq; proficiſcentes, tùm verò & Solon.* Sed Iſocrates qvoq; Solonem ex antiqvo uſu, Demoſthenes autem Archytam Tarentinum Sophiſtas vocant. Verba Iſocratis ex Oratione de permutatione hæc ſunt: *Eos, qvi Sophiſtæ dicebantur, magnifaciebant* (majores) *eorumq; familiares beatos judicabant: ſycophantas autem pernicioſiſſimos homines exiſtimabant. Cujus rei maximum ſignum illud eſt, qvod Solonem, qvi primus civium hoc cognomen ſortitus fuit, gubernatorem ac principem civitatis eſſe voluerunt: in ſycophantas autem graviores, qvàm in alios maleficos leges tulerunt.* Deniq;, ut alios nunc prætereamus, & de ipſo Ariſtotele Ammonius memorat, qvod ſeptem ſapientes

entes Sophiſtas vocaverit, his verbis: Ὁ Ἀριστοτέλης Σοφιστὰς λέγει τοὺς ἑπτὰ σοφούς. Unde Themiſtius Orat: 4: *Quod honorifica illa ac plena dignitatis fuerit appellatio* (Sophiſtæ) *Solonemq́; adeò Sophiſtam ab ejus temporis hominibus vocatum fuiſſe, ex Comicorum & Hiſtoricorum ſcriptis narrare vobis, eſſet hominis inſulſi.* Sed poſteaquam hoc nomen uſurpatum fuit etiam ab illis, qvi ſub eo fumum aliis vendiderunt, ſapientiam ſibi non abſq; temeritate tribuentes, odioſum illud bonis eſſe cœpit, ut ex iſto tempore nonniſi hominibus, ſapientiam mentientibus, atq; ſub ejus nomine aliis imponentibus, fuerit inditū. Simile ergò qvid uſu venit & vocabulo αἱρέσεως. Qvamvis enim illud ex origine ſuâ mediæ eſſet ſignificationis, atq; etiam ad religionem traductum ab initio ejusmodi manſerit, progreſſu tamen temporis, cum ſectæ in dies accumularentur ac pleræq; à recto tramite deviarent, paulatim bonam ſignificationem amittere, & rarò aliter quàm in deteriorem partem cœpit uſurpari. Idq; ſatis maturè. Nam vel ex adductis etiam antè Apoſtoli verbis, quæ Lucas refert Actor. 24 v. 14, κατὰ τὴν αἵρεσιν, ἣν λέγουσιν, *juxta hæreſin, qvam dicunt*, patet, Apoſtolos jam tum non uſq; adeo congruum putaſſe, ut Chriſtiana religio αἱρέσεως nomine ſignaretur. Neque immeritò. Non enim ex humano conſilio aut ingenio ea profecta eſt, ſed Deū agnoſcit Autorem, illudens cunctas argutias, omneq; humani intellectus, ſibi relicti, acumen. Annotavit hoc Tertullianus lib. de præſcript. c. 6, ita ſcribens: *Hæreſis Græcâ voce dicta ex interpretatione electionis, quâ quisq́; arbitrio ſuo ad inſtituenda ſivè ad ſuſcipienda qvælibet ipſe ſibi eligit. Nobis verò nihil noſtro ex arbitrio inducere licet; ſed nec eligere, quod aliqui de ſuo arbitrio induxerint. Apoſtolos autem Dei habemus Autores: qvi nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, qvod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter natio-*

nibus assignaverunt. Qvæ verba repetit Isidorus Hispalensis lib. 8 Orig. c. 3. Adstipulatur verò his & Theophylactus ad Coloss. 2 v. 8 ita disserens: διὰ τοῦτο αἱρέσεις λέγονται, ὅτι ἀνθρώπων εἰσὶ δόξαι. Ἡ δὲ τῶν Χριστιανῶν πίστις, οὐκ ἀνθρώπινον δόγμα. διὸ οὐδὲ τοιούτου ὀνόματος τεύξεται, *Propterea hæreses dicuntur, quia sunt hominum opiniones. Christianorum autem fides non est humanum dogma: propterea nec tale nomen assequetur.* Atq; hinc passim quidem hæreseως vox in Epistolis Apostolorum occurrit, sed nunquam in bono sensu. Veluti 1 Corinth. 11 v. 19: *Oportet hæreses esse inter vos, ut, qui probi sunt, manifesti fiant inter vos.* Item Galat. 5 vers. 20: *Manifesta sunt opera carnis, hæresis, invidia, cædes.* Et Petrus 2 Epist. 2 v. 1 dicit: *Erunt inter vos, qui subintroducent* αἱρέσεις ἀπωλείας, *hæreses exitiales.*

V. Ex qvibus omnibus facile est colligere, quis hæreticus sit dicendus, voce in sequiorem parte acceptâ. Nempe in genere qvidem hâc ratione hæreticus est, ὁ ἄλλο τι παρὰ τὴν ἀλήθειαν αἱρούμενος ἔχειν, quemadmodum definit Hesychius, *qui aliquid præter veritatem eligens amplectitur.* Quo sensu & Philastrius vocem hanc usurpavit in libro suo de hæresibus. Is enim hæreticos promiscuè vocat omnes, qui dogma aliqvod fovent veritati repugnans, & quidem aut ἀληθῶς, aut saltem κατὰ δόξαν ipsius. Sic hæreticos pronunciat etiam eos, qui non credunt, *terram esse aliam, quæ veluti matrix sit omnium rerum, invisibilem & incompositam, factam à Deo primo die, & aliam, in quâ habitamus, fundatam super aquam.* Itemq; illos, *qui causam terræ motus ex naturâ ipsâ elementorum derivant; & qvi Cometas, Pogonias & Hyadas & Hædos, & alia cælestia aliis, quam quæ in sacro codice expressa sunt, appellant nominibus; quiq; stellas putant infixas esse in cælum, & non de the-*

sauris

ſauris locisq́ abſconditis, atq́ à Deo diſpoſitis in veſperam juſſu divino procedere. Strictius autem, habito ad religionem reſpectu, hæreticus dicitur is, qvi dogma aliqvod alit repugnans veritati divinitus revelatæ. Ex revelatione enim de religione eſt judicandum. Inde hæretici vocantur *falſi Prophetæ* Matth. 7 v. 15, nempe quia verbum revelatum non rectè exponunt, ſed ad erroneos ſenſus detorquent. Petrus ex eodem capite eos appellat ψευδοδιδασκάλους, *falſos Doctores*, 2 Epiſt. 2 verſ. 1. Qvibus congruunt, quæ paſſim apud Patres de hæreticis leguntur. Veluti Ignatius Epiſt. ad Smyrnæos vocat eos ἑτεροδοξοῦντας, *aliter ſentientes, ac veritas revelata habet.* Et Juſtinus quæſt. & reſponſ. ad Orthodoxos Quæſt. 4 de iis dicit, *quod repugnent & ſibi ipſis*, καὶ ἀληθείᾳ *& veritati.* Irenæus l. 1 & 19 hæreticos omnes ait *deviare à veritate.* Libro 4 autem c. 44 *decidere eos à veritate atq́ alienum ignem afferre ad altare Dei*, id eſt, ut ipſe exponit, *alienas doctrinas.* Clemens Alexandr. l. 7 Stromatum ait, eos *adulterare veritatem*, μοιχεύειν τὴν ἀλήθειαν. Tertullianus quoq; hinc eos vocat *falſos prædicatores & adulteros evangelizatores, Eccleſiam doctrinarum perverſitate laceſſentes.* Et lib. de præſcript. c. 4 & 12 dicit, apud eos *omnia eſſe extranea & adverſaria noſtræ veritati.* Athanaſius Orat. 4 contra Arianos itidem *deviare* eos ſcribit *à veritate atq́ diverſa ſentire ab iis, quæ ſentienda erant.* Origenes autem eorum ſermones *adulterinæ monetæ* comparat homil. 3 in Pſalm. 36. Epiphanius hæreſi 25 hæreſin *velut flatum* eſſe dicit *in tibiâ diverſis motibus concitantem contra veritatem.* Auguſtinus verò lib. contra Epiſt. Fundamenti c. 4: *Sola*, inquit, *apud hæreticos perſonat veritatis pollicitatio, quæ tamen nunquam exhibetur.* Et lib. 2 Quæſt. Evang. quæſt. 11: *Hæretici*, inquit, *pravis opinionibus ad falſa dogmata convertuntur.* Poſſent plura talia adduci, ſed res cum nimis clara

 sit,

sit, non est, quod in eâ diducendâ nos detineamus. Inde namque & Isidorus hæreticos definit eos, *qui perversum dogma cogitantes arbitrio suo de Ecclesiâ recesserunt*, lib. 8 Orig. c. 3. Et paulò post sectas dicit *habitus animorum ac instituta circa disciplinam vel propositum, quem tenendo sequantur, longè alia in religionis cultu opinantes, quam cæteri*, qui videlicet rectè sentiunt de religionis negotio, à Deo revelato.

VI. Cæterum non eodem modo se habent, quæ prodita sunt per revelationem. Quædam enim ex illis detecta nobis sunt, ceu necessaria ad salutem, & fide simplici apprehenduntur. Quædam autem, ut priora ista tanto melius explicentur, confirmentur, defendantur, diducantur, quod jam ad γνῶσιν seu peritiam Theologicam pertinet. Non negamus quidem, & fidem notitiam quandam præsupponere eorum, quæ in verbo revelata sunt. Neque enim assensum quis alteri præbere potest, si omninò, quid ille dicat, ignoret. Unde hactenus rectè Clemens Alexandr. lib. 5 Stromatum: *Non est*, inquit, *fides* ἄνευ γνώσεως, *absque cognitione.* Quod repetit & Theodoretus Serm. de fide. Atq; adstipulatur his & Marcus Eremita de lege spirituali scribens: *Qui non cognoscit veritatem, nequaquam potest credere.* Ἡ γὰρ γνῶσις κατὰ φύσιν προηγεῖται τῆς πίστεως, *Cognitio namque secundum naturam fidem præcedere debet.* Ast hæc simplex solùm est eorum, quæ in verbo tradita sunt, apprehensio, quam excipit assensus, ideò præbitus revelationi, quod ea DEum agnoscat auctorem, qui veritas ipsa est, & nec falli, nec fallere potest, qualis assensus etiam in simplicem hominem cadit. Ea autem notitia, quâ, quæ per fidem assumpta sunt, demonstrantur, declarantur & dilatantur, eductis insuper inde per legitimam illationem conclusionibus, jam acumen aliquod requirit ingenii, atq; specialiori significatu γνῶ-

σις

σις solet appellari. Agit eâ de re Clemens Alexandrinus lib. 7
Stromatum, atque inter alia ita scribit: *Fides est* σύντομος τῶν
κατεπειγόντων γνῶσις, *brevis & compendiosa eorum, quæ necessa-*
ria sunt, cognitio. Γνῶσις autem, pergit, est ἀπόδειξις τῶν διὰ
πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς κυριακῆς διδασκα-
λίας ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει εἰς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ μετ᾽ ἐπιστήμης καὶ
καταληπτὸν παραπέμπουσα, *firma ac solida demonstratio eorum,*
quæ assumpta sunt per fidem, quæ per doctrinam Domini super
fidem ædificatur, quæ transmittit ad id, quod non potest exci-
dere & mutari, & potest comprehendi scientiâ. Illa omni-
bus est necessaria, qui desiderio salutis tenentur; hæc non i-
tem, sed ad illos præcipuè spectat, qui munere Doctorum fun-
guntur, ut ritè illud administrent. Quâ de re Irenæus disserens,
de iis, in quibus γνῶσις est occupata: *In his*, inquit lib. 1 ad-
versus hæreses cap. 4, *Doctorum industria posita est, cum inte-*
rim Ecclesia unam eandemq́; toto terrarum orbe fidem teneat.
Clemens Alexandrinus quoq; hinc rursum lib. 7 Stromatum:
οὐ πάντων, inquit, ἡ γνῶσις. Et Tertullianus lib. adv. hæret. c. 14:
Fides tua, ait, *te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum.*
Fides in regulâ posita est, habens legem & salutem de observa-
tione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens
gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat
gloria saluti. Origenes in præfat. libr. περὶ ἀρχῶν: *Illud scire*
oportet, quod sancti Apostoli, fidem Christi prædicantes, de qui-
busdam quidem, quæcunq́; necessaria crediderunt omnibus
credentibus, etiam his, qui pigriores erga inquisitionem divi-
næ scientiæ videbantur, manifestissimè tradiderunt, rationem
scilicet assertionis eorum relinquentes, ab his inquirendam, qui
Spiritus dona excellentia & præcipuè sermonis sapientiæ & sci-
entiæ per ipsum Spiritum sanctum percipere merebantur. A-
thanasius libr. de Verbi incarnatione in principio difficultatem

corum, quæ ad accuratiorem & magis exquisitam notitiam myſterij incarnationis pertinent, indicans, ita inter alia loqvitur: *Res iſtas ad exactum*, τὴν ἀκρίβειαν, *diſcutere, eſt paucorũ, fides autem omnium, qvi Deo auſcultant, qui & ſummam laudem reportant ſtudij ſui.* Gregorius Nazianzenus Orat. 26: *Nihil fide noſtra iniquius fingi poſſet, ſi in eruditos tantum dicendiq; facultate ac Logicis demonſtrationibus excellentes caderet, popularis autem multitudo, ut auro & argento alijsq; omnibus rebus, quæ hic in pretio habentur atq; à plerisq; avidiſſimè expetuntur, ſic hac qvoq; fruſtraretur.* Auguſtinus lib. 14 de Trinit. c. 1: *Scientiâ, qua fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, non pollent fideles plurimi, qvamvis polleant ipſâ fide plurimum.* Et ſermone 139 de Tempore: *Qui novit, quomodo iſta defendat, doctior eſt, non fidelior. Habet fidem, habet facultatem defendendi fidem. Alius non habet facultatem & copiam, & doctrinam defendendi fidem, ſed habet ipſam fidem. Ille autem, qui novit defendere fidem, titubantibus eſt neceſſarius, non credentibus. In defenſione enim fidei curantur vulnera dubitationis & infidelitatis.* Deniq; contra Epiſt. Fundamenti Manichæi c. 9 ſcribit: *Turbam non intelligendi vivacitas, verum credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Qvibus omnibus accedit & Fulgentius libr. de fide orthodoxa ad Donatum. Ita enim ille: *Non omnes, qui Chriſti participes ſunt, etiam reſpondendo poſſunt defenſare, quod credunt, ſed etiam illa pars eſt profectò victoriæ, ut, quamdiu quis ſermone non poteſt defendere veritatem, fideli tamen corde devitet errorem.* Qvibus verbis & ille fidem à facultate defendendi fidem apertè diſtinguit.

VII. Jam non è veſtigio, qui qualemcunq; etiam ex iis, quæ ex revelatione ſolâ innoteſcunt, errorem fovet, hæreticus

eſt.

est. Quis enim in cognitione seu peritiâ Theologicâ tantos fecit progressus, ut ab omni planè, etiam in iis, quæ huc spectant, errore sit immunis? *In multis inpingimus omnes*, inquit Jacobus cap. 3 v. 2. Et Paulus ait 1 Cor. 13 v. 9, 10: *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus, postquam autem advenerit, quod perfectum est, tunc, quod est aliquatenus, abolebitur.* Certè nullus ferè ex priscis Ecclesiæ Doctoribus nominari potest, qui non notabili aliquo errore fuerit infectus; & tamen ideò in hæreticorum classem isti non fuere redacti. Duobus primis seculis pleriq; subscripsére dogmati illi, quo Christus cum electis suis regno externo in terris ante seculi consummationem in summâ pace & tranquillitate potiturus statuebatur. Suum illud fecit Papias, Hieropolitanus in Asiâ Episcopus, auditor eorum, qui Apostolos familiariter noverant & audiverant. Sic enim de eo Hieronymus lib. de Scriptoribus c. 18: *Hic dicitur mille annorum Iudaicam edidisse* δευτέρωσιν, *traditionem.* Invenire etiam licet eandem opinionem apud Justinum in Dialogo cum Tryphone, Tertullianum lib. 3 adversus Marcionem sub finem & alios. Non omnes tamen eam amplexi fuere etiam istis seculis. Ipse enim Justinus loc. citato fatetur, πολλοὺς καὶ τῶν τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ὄντων χριστιανῶν γνώμης τοῦτο μὴ γνωρίζειν, *multos etiam ex ijs Christianis, qui puræ piæq; fuére sententiæ*, hoc est, nihil minus, quàm hæretici, *dogma istud non agnovisse.* Seculo III autem prolixè errorem hunc refutavit Dionysius Alexandrinus Episcopus, duobus, quos Nepoti Episcopo Ægyptio, sub Gallieno, errorem istum renovanti, opposuit, libris, ut constat ex Eusebii Historiâ l. 7 c. 19, & Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 69. Ex quo tempore magno consensu à plerisq; repudiata fuit hæc sententia, sed ita, ut ob errorem istum, quem propugnarant, dicam hæreseωs Patribus prioris ævi non scripserint. Neq; enim rectè

ſentiunt, qui Chiliaſtis hos annumerant, ideò ab Eccleſiâ Catholicâ proſcriptis, quod ſtatuerunt fore, ut poteſtatem tum Chriſtus conceſſurus eſſet ſuis vivendi pro lubitu, omniaq; carnis deſideria implendi, quale quid aſſerere his nunquam venit in mentem. *Hæreſis hæc*, ait Philaſtrius, Chiliaſtarum errorem deſcribens, lib. de hæreſibus ſect. 3 n. 12, *docet ita: Cum venerit Chriſtus de cœlo, mille anni illi erunt iterum nobis* CARNALITER *ad vivendum, generandum & manducandum.* Tales erant Cerinthiani. *Hi* enim *mille annos, poſt reſurrectionem in voluptate carnis futuros, prædicabant. Atq́ inde Chiliaſtæ Græcè, Latinè Milliaſtæ ſunt appellati*, ut Iſidorus ſcribit lib. 8 Orig. c. 5. Erroneum quoq; ſine dubio eſt iſtud Hieronymi dogma, Angelos per multa ſecula ante viſibilem mundum extitiſſe & DEO ſerviiſſe, quam his verbis ipſemet exprimit in Comm. ad c. 1 Epiſtolæ ad Titum: *Sex millia nec dum noſtri orbis implentur anni; & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas ſeculorum origines fuiſſe, arbitrandum eſt, in quibus Angeli, throni, dominationes cæteraq́ virtutes ſervierint DEO, & abſque temporum vicibus atque menſuris, Deo jubente, ſubſtiterint.* Eodem pertinet, quod idem Hieronymus in Quæſtionibus ſ. Traditionibus Hebraicis in Geneſin ſtatuit, *Paradiſum à Deo fuiſſe conditum, antequam is cœlum & terram crearet*, idq; inde, quod Gen. 2 v. 8 in Hebræo dicatur: *Plantaverat autem Deus Paradiſum in Eden à* PRINCIPIO. Nec tamen ideò ab Eccleſiaſticâ communione excluſus fuit Hieronymus. Et quid dicemus de Auguſtino? Certum utiq; eſt, eum itidem non exiguos habuiſſe errores, quos & ex parte ipſemet poſteà, rectiora edoctus, agnovit. Inde enim ad Vincentium ſcribens: *Negare*, inquit, *non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita in meis tam multis opuſculis, multa eſſe, quæ poſſunt juſto judicio & nullâ temeritate reprehendi.*

bendi. Supersunt tamen etiam in Retractationum ejus libris adhuc aliqua, quæ censoriam virgulam effugere haud possunt. Sed, iis non officientibus, pro Catholico Doctore & habitus fuit olim & adhuc habetur à toto orbe Christiano. *Homines namq́; sumus*, ut hic ipse loquitur l. 2 de Baptismo c. 5: *unde aliquid aliter sapere, quam se res habet, humana tentatio est, --- in nullo autem aliter sapere, quam res se habet, Angelica perfectio est.* Et lib. 1 contra Julianum cap. 2: *Sunt aliqua*, ait, *in quibus aliquando inter se etiam doctissimi atq́; optimi catholicæ defensionis, salvâ fidei compage, non consonant, & alius alio de unâ re melius aliquid dicit & verius.* Inde quoque idem apertè distingvit errorem ab hæresi. Ait enim, omnem quidem hæresin esse errorem, sed non omnem errorem esse hæresin. *Non omnis*, inquit l. de hæresibus in præfat: *error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo, hæresis esse non possit.* Sed & Apostolus ipse 1 Cor. 3 v. 10 seqq. accuratè distingvit inter *fundamentum ipsum* & *alia fundamento superstructa*, atq; illud quidem retinere unumquemq; debere, qui salute potiri vult, indicat, eô autem retento saluti non obesse, dummodo cætera sint paria, etiamsi quis ligna, fœnum & stipulas fundamento superædificet, hoc est, opiniones falsas atq; erroneas, fundamentum salutis non directè evertentes. Tales enim, ait, *facturos quidem esse jacturam aliquam*, verum *operis solùm*, non etiam salutis, dummodo errorem, quem alunt, contra conscientiam non defendant. *Nam & in libris*, inquit Anshelmus in Comm: *sanctorum Doctorum, quos authentica legit Ecclesia, nonnunquam inveniuntur quædam prava, non tamen pro his vel libri vel autores damnantur.* Et Barlaamus, Episcopus Gyracensis Seculo XIV Epistolâ ad Alexium Calochetum Tom. 3 Bibl. PP: *Non omnis, qui quodcunq́; vel de Deo vel de alio quovis sapit & dicit,*

quod neque in sacra Scriptura, neque in Concilijs, neque in Doctorum scriptis totaliter invenitur, hæreticus statim dicendus est; quia per hanc rationem etiam multi nostrorum sanctorum Doctorum hæretici essent, Areopagita, Theologus, Nyssenus, sanctus Augustinus: qui non solum talia dicunt, quæ per sensum alijs non conveniunt, alia penitus existentia, licet non opposita: --- sed & in multis & magnis sibi invicem contraria dicunt. Quibus gemina sunt, quæ & in Apologia Augustanæ nostræ Confessionis occurrunt loco de Ecclesiâ. Sic enim illa: *Dicimus existere Ecclesiam, videlicet verè credentes & justos sparsos per totum orbem, --- etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, quæ tamen, quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur. Ac sanctorum Patrum scripta testantur, quod interdum stipulas etiam ædificaverint supra fundamentum, sed quæ non everterunt fidem eorum.*

H. exclus. damnat. §8. IIX. Ejusmodi itaq; demum error hæresis nominandus est, qui directè oppugnat revelata nobis in verbo Dei, ceu necessaria ad salutem. Quam ob causam hæreses & à Petro disertè vocantur ἀπωλείαι, *exitia*, 2 Epist. 2 vers. 2, itemq; αἱρέσεις ἀπωλείας *hæreses exitij* vers. 1, quod *in exitium æternum* præcipitent sectatores suos, quam causam ipse reddit vers. 3. Paulus quoque hæreses numerat *inter opera carnis, hominem excludentia è regno cœlorum*, Gal. 5 v. 21. Auctores autem illarum à Servatore ipso comparantur *lupis*, Matth. 7 v. 15, nec non *latronibus*, Johan. 10 v. 8, quod ovibus Christi exitium ac perniciem æternam perversâ suâ doctrinâ intentent. Hæreses verò ipsæ ab eo vocantur *portæ inferorum*, Matth. 16 vers. 18 qvum dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ*

portæ inferorum non superabunt eam, hoc est, nec hæreticorum vafrities, nec aliud quidpiam, quo illecti homines ad infernum præcipites aguntur. *Scire oportet*, ait Origenes tract. 1 in Matth: *quod, sicut civitatum portæ proprium quæque nomen habent, eodem modo portæ inferorum nominari possunt juxta species peccatorum, ut una quidem porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores; altera verò negatio, per quam, qui Deum abnegant, descendunt ad inferos. Jam autem & unusquisque diversa sentientium, quique genuerunt aliquam falsi nominis scientiam, portam ædificaverunt inferorũ, aliam quidem Marcion, aliam Basilides, aliam Valentinus. Atque hi quidem inferorum portæ dicti sunt.* Pariter & Epiphanius hær. 74, quæ est Pneumatomachorum n. 14: *Hæresis*, inquit, *omnes reverà portæ inferorum sunt, quæ adversus petram nihil omninò virium habere possunt.* Hieronymus lib. 3. Comm. in Matth: *Ego portas inferi reor vitia atque peccata, vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum.* Consentiunt his & alij. Philo Carpathius in Cant. ad verba illa: *Capite nobis vulpes*, scribit: *Hæretici latentes parvas Ecclesias fidelium suâ pravitate corrumpunt, vastant ac delent.* Isidorus Pelusiota lib. 1 Ep. 238: *Per inferni portas*, ait, *divinus sermo impiorum hominum cœtus atque hæresium blasphemias intelligit: quibus omnibus obsistens DEI Ecclesia eas quidem frangit & expugnat, ab iis autem vinci non potest.* Augustinus libro 1 de Symbolo ad Catechumenos cap. 6: *Ipsa est Ecclesia sancta,*

Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans. Pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illâ exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice suâ, in charitate suâ. Portæ inferorum non vincent eam. Theophanes Cerameus, Archiepiscopus Tauromenitanus homil. 55 in Evangelia Dominicalia & Festa totius anni p. 375: *Portæ inferi,* inquit, *quæ contra Ecclesiam prævalere non potuerunt, tyranni intelliguntur & hæresium principes, qui portæ inferi figuratè dicuntur, utpote qui ad inferorum retia pertrahant Sectatores suos, qui profectò in cassum multa conati, & equorum instar adversus Ecclesiam infrementes nil quidquam alterius nocumenti illi intulerunt, nisi quod illustriorem effecére.* Theophylactus in Comm: *Portæ inferi temporales sunt persequutores, qui ad infernum mittere conantur Christianos. Et hæretici quoque portæ sunt ad infernum ducentes. Multis igitur persequutoribus & multis hæreticis prævaluit Ecclesia.* Christianus Grammaticus Exposit: in Matthæum c. 35: *Portæ inferi sunt peccata atque vitia seu doctrina hæreticorum, per quam illecti homines ducuntur ad tartarum. Multæ sunt portæ inferi, sed nullæ Ecclesiæ prævalent, quia, qui fidem Christi in corde tenuerit perfectè, omne, quicquid exterius accidit tentationis, facillimè devincet Deo protectore. Quicunq; ab Ecclesia recesserit fide vel opere, iste non super terram, sed super arenam fundamentum posuisse credendum est.* Eckbertus, Abbas secundus Monasterij S. Florini sermon: 10 adversus Catharos:

Portas

Portas inferi dicebat hæreticos, qui ingressum inferni patefaciunt his, qui seqvuntur eos.

IX. Idem hi ipsi & alibi inculcant, habentq; sibi & alios eâ in re adstipulantes, nempe quod hæresis error sit exitialis, saluti hominis æternæ insidias struens. Clemens Romanus, aut quicunq; Auctor est Constitutionum Apostolicarum l. 6 c. 18 de hæreticis loquens: *Hi*, inquit, *sunt adversarij & insidiatores Ecclesiæ, qui corrumpunt gregem & fœdant hæreditatem, sapientiæ simulatores, toti improbi, de quibus ajebat Salomon: Qui impij sunt, simulant se pios esse. Est enim*, inquit, *via, quæ quibusdam videtur recta, extrema verò ejus spectant ad profundū inferni.* Ignatius quoq; hinc eos vocat συνηγόρους τοῦ θανάτου, *Concionatores mortis*, in Epist. ad Smyrnæos. Et in Epist. ad Trallianos comparat eos cum iis, *qui mortiferum pharmacum alijs præbent cum vino mellito, quod qui ignorat, cum oblectamento accipit quidem, ast in perniciem suam.* In sequentibus autem eos vocat τὰς κακὰς παραφύαδας τὰς γεννώσας καρπὸν θανατηφόρον οὗ ἐὰν γεύσεταί τις παρ' αὐτὰ ἀποθνήσκει, *malas propagines, ferentes fructum mortiferum, quem si quis degustat, è vestigio moritur.* Irenæus l. 1 c. 1 apertè ait, hæreticos, *scito quidem eoq́; ad persvadendum apto verborum artificio eos, quorum simplex ingenium est, illicere, interim inscitò ac præposterè perniciem ijs inferre.* Et c. 19 ejusdem libri dicit eos *contradicere suæ saluti.* Lib. 4 porrò in præfat. scribit, de Gnosticis & Valentinianis disserens: *Quemadmodum serpens Evam seduxit, promittens ei, quod non habebat ipse: sic & hi prætendentes majorem agnitionem in mortem demergunt sibi credentes; apostatas eos constituentes ab eo, qui eos fecit.* Sic & Theophilus Antiochenus lib. 2 ad Autolycum: *Vt aliquæ*, inquit, *sunt insulæ saxosæ, aquâ potabili vacuæ, steriles, efferatæ & inhabitabiles, quæque plurimum damni tum navigantibus, cum naufragiis afferunt,*

nam & naves in his atteruntur, & quotquot ad eas impellunt, extrema pericula ſubeunt: Ita ſunt doctrinæ erroris, dico autem hæreſes, αἳ ἐξαπολλύουσι τοὺς προσιόντας αὐταῖς, *quæ ſuos ſectatores perdunt. Non enim à veritate prævia ducuntur, verum quemadmodum piratæ, ubi impleverint ſuas naves, penetrant ad prædicta loca, ut exitium apportent: ſic accidit his, qui relictâ veritate in hæreſes abeunt, à quibus tandem perduntur.* Clemens Alexandrinus lib. 3 Stromatum eos, qui hæreſes ſectantur, dicit perſvadere aliis τὸ πορνεύειν ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀνδρὸς τοῦ παντοκράτορος τοῦ Θεοῦ, *defectionem ab uno viro, omnipotente Deo, ad modum illarum conjugum, quæ, maritis ſuis infidæ factæ, corpus ſuum alijs proſtituunt.* Tertullianus in Scorpiaco cap. 1: *Si plagam ſatiaverit ſcorpius,* hoc eſt, ſi plagâ factâ hæreſis penitius intraverit, *intimat virus & properat in viſcera, omnes priſtini ſenſus retorpeſcunt, ſangvis animi gelaſcit, carne ſpiritus exoleſcit.* Et lib. de præſcript. adverſ. hæreticos c. 2 *hæreſes,* ait, *mortem inferre æternam.* Origenes homil. 7 in Ezechielem: *Hæreticos,* inquit, *ſermone perverſos eſſe & diſciplinis ſalutis contrarios.* Et apud Pamphilum Martyrem in Apologiâ, quam ſcripſit pro Origene: *Sunt, qui fornicationibus, & immundicitijs & idolorum cultibus maculati ſunt, regnum* DEI *non poſſidebunt: ita & hi, qui in hæreſin declinaverint.* Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ: *Quid fecit in pectore Chriſtiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum lethale ſerpentum?* Et Epiſt. 40 ad plebem de hæreticis pariter loquens: *Vitate,* ait, *lupos, qui oves à Paſtore ſecernunt: vitate lingvam Diaboli venenatam, quæ ab initio mundi fallax ſemper & mendax mentitur aut fallit; blanditur, ut noceat; bona promittit, ut malum tribuat; vitam pollicetur, ut perimat.* Conſtantinus Magnus edicto contra hæreticos apud Euſebium lib. 3 de vita Conſtantini c. 62: hæreticorum doctrinam *peſtiferis,* ait, *eſſe infectam quibusdam venenis, ut per eam integri & valentes ad morbum, vivi autem ad ſempiternum interitum abſtrahantur.* Et mox eos vocat τῆς ἀληθείας ἐχθροὺς, τῆς ζωῆς πολεμίους καὶ ἀπωλείας συμβόλους,

Veri-

Veritatu inimicos, hostes vitæ ac internecionis consiliarios & auctores. Athanasius in præfat. libri, quò varias non rectè sentientium opiniones refellit Tom. 1 (pag. 292:) *Hæreticorum operantium fructus sunt dispergere, non colligere; expellere, non revocare; prosternere, non erigere; vulnerare, non sanare; odisse deniq; non errantes, non quærere errantes.* Hilarius Pictaviensis lib. 2 ad Constantium Augusti de ijsdem agens: *Callidi,* inquit, *& astuti artificio quodam utuntur, inclusam, PERNICIOSAM corruptelam exquisitorum verborum velamine contegunt. Non prius VENENATUM VIRUS infundunt, quam simplices & innocentes sub prætextu nominis Christiani captos atq; irretitos involvant, ne soli pereant, sed participes horrendi criminis sui reos faciant.* Et in enarrat. Psal. 138: *Ut viri sangvinum sunt, quorum adulans doctrina est: ita & viri sangvinum sunt, quorum dolosa est doctrina, dolosa autem doctrina est hæreticorum: sub nomine DEI blasphema, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax. — Viri ergo sangvinum sunt* (hæretici,) *& propter DEPERDITARUM ANIMARUM reatum declinari jubentur.* Basilius Magnus Epist. 72 ad Evæsenos hæreses appellat βλαπτερὰ κατὰ τοῦ πνεύματος διδάγματα, *pestiferas contra Spiritum doctrinas.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quartâ illuminatorum hæreticos describens: *Multi,* inquit, *obambulant lupi, vestimentis ovium tecti, qui ovium indumenta gerunt, non tamen ungves & dentes earum habent, sed cum mansvetam induti sint pellem & figuræ prætextu simpliciores & innocentes fallant, exitiale virus impietatis,* τὸν φθοροποιὸν τῆς ἀσεβείας, *ex dentibus ejaculantur.* Ephræm Syrus de virtute c. 8: *Hæreticorum sermones instar sagittarum ipsorum corda vulnerant. Novi quosdam sermonibus animas pervertentes: cujusmodi quidem hominis fortasse per Symbola quædam seminis fluxu laborantes Scripturæ sermo & leprosas appellat.* Gregorius Nyssenus adversus Apollinarem in principio *hæreticos,* ait, *semper aliquid novi contra veritatem comminisci, eamq;, quæ secundum DEUM est, societatem dirimere.* In libro autem de Deitate Filij ac Spiritus sancti eosdem nuncupat τῆς ἀσεβείας προστάτας, *impietatis propugnatores.* Epiphanius lib. 1 adversus hæreses in præfat. num. 3 eosdem vocat *serpentes exitiales.* Ambrosius autem

tract.

tract. in Symbolum Apostolorum cap. 25, *homines perditos.* Hilarius verò Diac. Roman. Comm. in 1 Tim. 4 eisdem tribuit *doctrinæ pestiferæ virus.* Hieronym. in Ps. 5: *Vir sangvinum omnis hæreticus est: quotidiè animarum sangvinem fundit.* Augustinus porrò Epist. 56 ad Dioscorum, nec non serm. 31 de verbis Apostolic. 1, *pestium* nomine hæreses insignit. Assertores autem illarum Epist. 253 ad Ceretium *homines vocat perditos, vaniloquos & mentis seductores, primum suæ, deinde cæterorum, quos sibi ad interitum prædestinatos æternum consociare possunt.* Cyrillus Alexandrinus lib. 8 de Spiritu sancto de hæreticis itidem apertè dicit, quod *reos se faciant latrocinij humanarum animarum*; doctrinam autem illorum *morbum* vocat *pestiferum*, Epistolâ Epheso ad Monasteriorum præfectos scriptâ. Rursus lib. 7 Comm. in Johann. cap. 5 scribit: *Hæreticus, impietate novorum dogmatum seducere tentans animos, lupus dicendus est. Injustus raptor, fideles quosq; atque humiles suâ tyrannide opprimens, tanquam lupus super oves venit, eas errorum laqueis innectit, atq; per devia trahit errabundas. Demum tyrannus eas diripit & nullo suis obstante conatibus miseras dilaniat.* Theodoretus in præfatione librorum de hæreticis fabulis hæreticorum semitas novas appellat, ὧν τὸ τέλος τῆς ἀπωλείας τὸ βάραθρον, *quarum finis sit barathrum perditionis.* Vincentius Lirinensis in Commonit: c. 26: *Qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi, quaqua possunt, dilacerant.* Joannes Cassianus lib. 1 de Incarnat: cap. 1 hæreses, ait, *virus lethale jacere.* Deniq;, ne eamus longius, & Isidorus Pelusiota lib. 1 Epist: 209, hæretica καὶ τῆς ὀρθῆς δόξης ἀντίθετα, *rectæ doctrinæ adversa*, pro iisdem habet, atq; *extra regnum ea projici* asserit. Leo Magnus qvoqve hinc serm. 5 de jejunio decem mensis hæreticos vocitat *sævissimos hostes animarum.* Et Aponius, Seculi IX Scriptor, lib. 2 Comm. in Cantic: *hæreticos, ait, dulcia verba sanctæ Scripturæ venenosis sensibus suis inficientes, diverso sapore lethali inter se variante, potius mortis æternæ convivium præparare animabus.* Plura nolumus adscribere, ne Lectori tædium pariamus, si in re clarâ nimis simus prolixi.

X. Atq;

X. Atque hinc & passim hæretici Christianis opponuntur, quod ipsa fundamenta quatiant religionis Christianæ ad salutem unicè ducentis, & veluti jugulum ejus petant. *Quid hæreticis & Christianis?* quærit Tertullianus lib. de præscript. c. 7. Et cap. 37: *Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt; non à Christo habendi, quod de suâ electione secttati hæreticorum nomina admittunt.* Et Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ: *Sicut*, ait, *ex illis, qui veniunt in nomine Christi dicentes: Ego sum Christus & multos fallunt, nemo Christus est, quamvis fallat nomine illius: ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Evangelio ejus.* Lactantius libro 4 Institut. cap. 36: *Uti hæretici Dæmoniacis fraudibus irretiti divinum nomen & cultum per imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Antropiani seu quilibet alij nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso humana & externa vocabula induerunt.* Athanasius Orat. 2 contra Christianos: *Vel serò tandem addiscant, eò quod Arriani sunt, ipsos Christianos non esse.* Lucifer Calaritanus libro de non conveniendo cum hæreticis: *Quomodo simul esse Arriani & Christiani poteramus?* Et Constantium Imperatorem Arianum alloquens: *Cum non Christianus sis*, inquit *sed Arianus.* Pariter & Hilarius Pictaviensis ad hunc ipsum Imperatorem: *Christianus sum*, inquit, *non Arianus.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech: 6 illuminatorum: *Hæretici simulant se Christi studiosos, Christi tamen omninò hostes sunt infensi.* His subscribit & Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos. Ait enim disertè: *Quem hæreticum dixeris, Christianum negasti.* Johannes Chrysostomus homil. 33 in Acta: *Si quis Scripturis consentit, Christianus est: si quis contra illas pugnat, quod faciunt hæretici, procul est ab hoc Canone.* Augustinus in Enchiridio

Disp. II. Respondente MICHAELE BEHMIO, Regiomontano Prusso.

Hæretici non Christiani.

ad Laurentium cap. 5: *Nominetenus invenitur Christus apud qvoslibet hæreticos, qvi se Christianos dici volunt, reipsâ non est apud eos.* Et libr. 3 de Baptismo contra Donatistas c. 3, nec non lib. 4 c. 3 eos vocat Pseudo Christianos & Anti-Christos. Libro 2 autem de doctrinâ Christianâ c. 35, falsos Christianos. Porrò lib. 18 de Civitat. Dei c. 51 *qvoqvo modo Christianos*. Deniq; lib. 1 contra Epist. Parmen. c. 9 *qvoqvo modo Christiano nomine dealbatos*. His consentit & Cyrillus Alexandrinus lib. 2 Comm. in Esaiæ c. 2 Tom. 4 in fine: *Similiter etiam, qvi impiarum hæreseon virus animo & pectore habent, etsi Christianorum nomen furati sunt;* Christiani tamen, vult dicere, reverà non sunt, sed Christianorum hostes, *qvin immanitatem etiam hostilem interdum superant, à charitate & pietate alieni & immites.* Leo Magnus sermon. 18 de passione Domini hæreticos ait *solo nomine Christianos*. *Non enim*, pergit, *templum Spiritus DEI, nec membra sunt Christi: sed falsis opinionibus implicati tot species habent Diaboli, qvot simulacra mendacij.* Rursum Epist. 97 ad Leonem Augustum cap. 2: *Qvicunq; illi*, ait, *sunt ita obcæcati, & à lumine veritatis alieni, ut verbo Dei à tempore incarnationis humanæ carnis denegent veritatem, ostendant, in qvo sibi Christianum usurpent, & cum Evangelio veritatis qvâ ratione concordent.* Facundus, Episcopus Hermianensis Provinciæ Africanæ, libro 12 defensionis trium Capitulorum Concilij Chalcedonensis ait, *alienum esse à Christo omnem hæreticum*, quod scilicet fundamenta Religionis Christianæ subvertat atque salute, per Christum nobis partâ, & se & alios defraudet. Unde & factum, ut Imperatores prohiberent, hæreticos Christianum nomen usurpare, veluti Nestorianos, de quibus ita Theodosius & Valentinianus decernunt lib. 6 C de hæreticis: *Damnato portentosæ superstitionis autore Nestorio*

notâ

nota congrui nominis inuratur ejus gregalibus, nec Christianorum appellatione abutantur. Iidem Imperatores cum Gratiano lib. 5 Codicis Theodosiani de hæreticis: *Omnes*, inquiunt, *vetitæ legibus & divinis & Imperialibus hæreses perpetuò acquiescant, — omnesq; perversæ istius superstitionis magistri pariter & ministri, seu illi Sacerdotes assumptione Episcoporum nomen non infament, seu, qvod proximum est, Presbyterorum vocabulo religionem mentiantur, seu etiam se Diaconos, cum nec Christiani qvidem habeantur, appellent, hi conciliabulis damnatæ demum opinionis abstineant.* Denique & Justinianus hæreticos Christianis opponit Novellâ 131 c. 14 dicens: *Rector domus, qvi res* (sanctæ Ecclesiæ, aut alius venerabilis loci) *dedit hæretico, omni gubernatione removeatur, — qvod hæreticis prodiderit Christianos.*

XI. Ut itaq; plenè constet, quinam propriè dicendi sint hæretici, inquirendum est ante omnia accuratè, quænam ad substantiam religionis Christianæ pertineant, atq; ceu necessaria ad salutem nobis in verbo Dei sint revelata. Id qvum agimus, invenimus primas inter ea obtinere fidem. Sine eâ namque impossibile est quenquam servari, aut Deo placere, ut passim indicat Scriptura. *Qvi non credit*, ait Servator ipse, *condemnabitur*, Marc. 16, vers. 16. Et Apostolus ait: *Sine fide impossibile est placere DEO*, Hebr. 11 v. 6. Qua de causâ & ab Ignatio vocatur ἀναγωγεὺς ἡμῶν, *Dux noster*: itemque ἀρχὴ ζωῆς, *principium vitæ*, ejus scilicet, quæ ex Deo est, in Epistol. ad Ephesios. Ab Origene autem *primum salutis initium & fundamentum*, lib. 4 Comm. in Epist. ad Romanos. Per fidem verò hic nihil aliud intelligitur, quam assensus eorum, quæ Deus nobis manifestavit, ceu Creditu simpliciter necessaria ad salutem, creditu, inquam, non factu. Cæteroqui enim ea

omnia, quæ in verbo suo Deus immediatè prodidit, quatenus ita prodita sunt, fide amplectenda sunt ab iis omnibus, qui prodita ista esse norunt, sive ad πρᾶξιν pertineant, sive quoquo alio referantur, quod citra blasphemiam rejici à nemine queant, quæ ex divinâ patefactione ipsi innotuere. *Simplex* enim *omninò Deus est & verax dictis & factis, neque mutatur ipse, neq; alios decipit, neq; per visiones, neq; per sermones, neq; signis immittendis, neq; nobis dormientibus, neq; vigilantibus*, inquit Plato lib. 2 de Republicâ. Ex quo capite idem in Timæo: *Absurdum est*, inquit, *Deorum filijs* h. c. divino Numine afflatis, *non credere, etiamsi absq; verisimilibus & necessarijs demonstrationibus dicant.* At non omnia, quæ revelata sunt à Deo, creditu simpliciter ad salutem sunt necessaria, ita, ut salute confestim excidere cogatur, qui consensum istis omnibus non præbet, si revelata aliqua illorum esse ignoret. Actum enim hac ratione esset de salute non solùm simpliciorum, qui Scripturas legere haud possunt; sed & doctiorum. Quotusquisq; namq; etiam horum est, qui gloriari queat, se ad ungvem percepisse cuncta, à Deo in sacris literis revelata? Omnes potius, nisi fraudi sibi ipsis esse velint, fatebuntur, esse illic haud pauca oracula, quorum sensum paucissimi assequantur. Nam & Daniel ipse Propheta sermones suos *clausos* atq; *signatos fore* ait *usq; ad ultimum tempus*, c. 12 v. 9. *In multis pro Scripturarum profunditate humanus caligat aspectus*, ait Facundus lib. 12 pro defens. Concilij Chalcedonensis. Quorum autem nulla, ne simplex quidem sensus verborum, antecedit notitia, illa fide apprehendi non possunt, quod fides non sit absq; hujusmodi notitia, quemadmodum & jam ante quoque observabamus num VI. Alia verò est ratio illorum, quæ DEUS hoc fine revelavit, ut præcisè fide ea amplectantur omnes, quotquot ad salutem adspirant, adeò, ut solus fidei defectus

fectus in talibus damnationem inducat. Horum ergò assensus fides κατ' ἐξοχὴν vocatur, necessaria omnibus, qui cupidi sunt salutis.

XII. Porrò summam fidei hujus continet Symbolum, quod vocamus Apostolicum, ita dictum, quod ipsos Apostolos habeat autores. Ab his enim illud fuisse adornatum, Veteres unanimi consensu docent. Clemens Romanus, aut quisquis tandem Autor est compendij fidei Christianæ, Clementis nomen præ se ferentis, antiqvus certè, ex translatione Ruffini Aquilejensis: *Christo*, inquit, *resurgente & ascendente in cœlum, misso sancto Spiritu, conlata Apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi, Symboli, qvod fideles nunc tenet Ecclesia, unusqvisq; qvod sensit docendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Nec aliter Irenæus, qui discipulos Apostolorum audivit. Ait enim lib. 1 cap. 2, Ecclesiam per universum orbem disseminatam usque ad terræ fines παρὰ τῶν Ἀποστόλων, *ab Apostolis eorumq; discipulis eam fidem accepisse, qvæ in Symbolo traditur*, & mox ab ipso Irenæo enarratur. Et libro 3 cap. 4 eandem veterem *Apostolorum traditionem* vocat. Tertullianus autem antiquissimus Latinorum, quorum scripta ad nostras manus pervenerunt, lib. de præscript. adversus hæret. cap. 13 & 21, regulam fidei à Christo institutam, quam *Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à DEO susceperit*, vel, ut c. 37 loquitur, *tradiderit*. Nec dubium est, quin ad eandem respexerit in Apologetico c. 47, cum mentionem facit regulæ veritatis, quæ *veniat à Christo transmissa per comites ipsius*, Apostolos. Tandem in lib. advers. Praxeam cap. 2, postquam confessionem fidei Symbolo comprehensam proposuisset, concludit: *Hanc regulam AB INITIO EVANGE-*

LII decucurrisse etiam ante priores quosq; hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Origenes in præfat. lib. περὶ ἀρχῶν, quæ in Symbolo continentur, ait, manifestè tradi in Ecclesiâ *per prædicationem Apostolicam.* Et hi quidem floruerunt tribus prioribus Seculis. Seculo IV autem idem confirmat Lucifer Calaritanus Episcopus libr. 2 ad Constantium. Appellat enim *formam disciplinæ & regulam fidei traditam per Apostolos.* Consentit Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 18. Nam & ille Symbolum, quod hactenus exposuerat, vocat παραδοθείσην ὑμῖν εἰς ἐπαγγελίαν ἁγίαν καὶ Ἀποςολικὴν πίςιν, *traditam nobis ad profitendum sanctam atq; Apostolicam fidem.* Nec aliter alii docent. Ambrosius Epist. 7 ad Syricium Papam: *Credatur*, ait, *Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat.* Et serm. 38: *Duodecim*, inquit, *Apostolorum Symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices, in unum convenientes clavem suo concilio conflaverunt.* Hieronymus in Epistol. ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani: *Symbolum fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum — post confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiæ, omne dogmatis Christiani sacramentum carnis resurrectione concludit.* Ruffinus in Exposit. Symboli: *Tradunt Majores nostri, quod post ascensionem Domini, cum per adventum sancti Spiritus super singulos quosq; Apostolos ignea linguæ sedissent, ut loquelis diversis variisq; loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nulla linguæ barbaries inaccessa videretur & invia; præceptum eis à Domino datum, ob prædicandum DEI verbum, ad singulas quemq; proficisci nationes. Discessuri itaq; ab invicem normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alius ab alio abducti, diversum aliquid his, qui ad*

fidem

fidem Christi invitabantur, exponerent. — Atqve regulam hanc Symbolum appellarunt. Maximus Episcopus Turonensis Homilia de expositione Symboli: *Beati Apostoli — mysterium Symboli tradiderunt, ut qvia sub uno Christi nomine credentium erat futura diversitas, signaculum Symboli inter fideles perfidosq; secerneret, & alienus à fide atqve hostis appareret Ecclesiæ, qvi aut tanqvam baptizatus nescisset, aut tanqvam hæreticus corrupisset.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1 de rectâ fide ad reginas his consentiens & ipse Symbolum vocat παράδοσιν ἀποστολικὴν, *traditionem Apostolicam.* Pariter & Cassianus lib. 6 de Incarn. c. 6: *Symbolum*, inquit, *per Apostolos suos Sacerdotesq; constituit Deus.* Leo Magnus Episcopus Romanus Epist. 13 ad Pulcheriam Augustam: *Ipsius Catholici Symboli brevis & perfecta confessio duodecim Apostolorum totidem signata est sententijs.* Videatur idem & serm. 11 de passione Domini c. 12, nec non sermone contra Eutychen cap. 1. Paschasius Diaconus præfat. in libros de Spiritu sancto: *Apostolica sollicitudo atqve perfectio sicut per sanctas paginas dilataverat, ita per Symbolum salutare breviter collegit, & tanqvam per diversas remediorum species disposuit in corpus unum, ac velut ex innumeris aromatibus preciosum confecit ungventum, cujus odor omnes fines terræ potentia fragrantiæ spiritualis implevit.* Secul. VI Venantius Fortunatus in expositione Symboli: *Resurgente Christo, & ascendente in cœlum, misso sancto Spiritu, unusqvisq; qvod sentit, dicendo condidére, ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes æqvaliter prædicarent.* Seculo VII Isidorus Hispalensis lib. 2 de Eccles. Officiis c. 22: *Symbolum fecerunt Apostoli in his sermonibus in unum conferendo unusqvisqve qvod sensit.* Et post: *Discessuri Apostoli ad prædicandum istud unanimitatis & fidei suæ indicium imposuére.* Mansvetus, Episcopus

ſcopus Mediolanenſis, Epiſtolâ ad Conſtantinum Imperatorem: *Qvid enim brevius, qvam ſimplex fidei Symbolum ab Apoſtolis inſtitutum, in qvo myſticum Sacramenti continetur arcanum.* Seculo IIX Haymo lib. 2 in Eſaiam c. 45: Et conciliamini ſimul) *De ſalute eorum hoc adimpletum, qvando, antequam dividerentur Apoſtoli per univerſum orbem commune conſilium elegerunt, ut unitatem annunciarent, non diſſentientes ab invicem. Tunc enim & Symbolum compoſuerunt de Trinitate & Vnitate, de communione Eccleſiæ & reſurrectione generali.* Eodem Seculo Etherius, Epiſcopus Uxamenſis, & Beatus Presbyter lib. 1 de adoptione Chriſti adverſus Elipandum Tom. IV Bibl. Pp. parte 2: *Ut fides firma daretur Eccleſiæ, duodecim Apoſtoli à Chriſto ſunt electi: qvorum Petrus cum eſſet primus, non auſus eſt ſolus componere Symbolum, ſed duodenario numero Apoſtolorum cum magnâ eſt cautelâ collectum, & credentibus aſſignatum. — Duodecim fuerunt Chriſti diſcipuli, prædicatores fidei & Doctores gentium, qvi cum unum eſſent, unum etiam compoſuerunt Symbolum, qvi ſinguli ſingula verba dixerunt unius fidei invicem concordantia ſibi, qvæ tantum ſunt duodecim verba.* Deniq; Seculo IX Amalarius Fortunatus libro 4 de Eccl. officiis cap. 2: *Poſt Orationem Dominicam ſeqvitur credulitas, qvam ſancti Apoſtoli conſtituerunt de fide ſanctæ Trinitatis, atqve diſpenſatione incarnationis Domini, ac ſtatu noſtræ Eccleſiæ.* Et Rabanus Maurus lib. 2 de Inſtitut. Clericorum c. 56: *In eo,* inquit, (Symbolo) — *de totis Scripturis hæc breviatim collecta ſunt ab Apoſtolis.* Hactenus illi. Qvibus addi poteſt ex Seculo X. Smaragdus Domin. poſt Pentecoſten & ex XI Juo de Sacramentis Neophytorum.

XIII. Tradiderunt autem Apoſtoli Symbolum Eccleſiæ non ſcriptum, ſed vivâ voce, non tàm verborum, qvàm rerum & ſententiarum rationem habentes, ut cordibus ſtatim audientium inſcriberetur. Qvo pertinet, qvod Irenæus habet

lib. 3

lib. 3 c. 4. Ait enim *traditioni Apostolicæ*, quæ in Symbolo con-
tinetur, *assensisse adhuc suo Seculo multas barbarorum, Scripturâ destituto-*
rum, gentes, qvi in Christum crediderint, sine chartâ & atramento scriptam
habentes per Spiritum in cordibus suis salutem. Nec minus insignis est
locus, qui occurrit apud Basilium Magnum lib. de Spiritu san-
cto cap. 27. Inter alia enim multa, ab Apostolis Ecclesiæ tra-
dita vivâ voce, numerat & fidem eam, in quam baptizamur.
Verba ejus ita sonant: *Ipsam fidei professionem, qvâ credimus in Patrem,*
& Filium & Spiritum sanctum, è qvibus habemus scriptis? Etenim si qvoni-
am ex Baptismi traditione, juxta pietatis congruentiam, ut baptizamur, ita
credere debemus, similem Baptismo professionem exhibemus: concedant no-
bis, ut juxta eandem conseqventiam similiter glorificemus Deum, ut credimus.
Qvodsi glorificandi modum, veluti scripto non traditum, rejiciunt, nempe
qui præter Scripturam traditionem nullam admittunt, *proferant*
nobis & fidei professionis — probationem è Scripturis. His consentiens
Hieronym. Epist. 6 ad Pammach. contra errores Joannis Hiero-
solymitani: *Symbolum*, inquit, *fidei & spei nostræ, qvod ab Apostolis tra-*
ditum, non scribitur in chartâ & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.
Nam & in sequentibus temporibus Ecclesia, insistens Aposto-
lorum vestigiis, Symbolum non aliter, quàm vivâ voce tradi-
dit Catechumenis, ut illud memoriæ statim infigerent, & cum
opus esset, publicè recitarent. Fidem faciunt & illa verba
Cyrilli Hierosolymitani ex Catech: 1 illuminatorum, quibus
ita Catechumenum alloquitur: *Assistas Catechesibus, &, qvæ in illis di-*
cuntur, memineris. Dicitur enim non ideò, ut audias tantum, sed ut per fidem
dicta obsignes. Et in præfat. Catechesibus præmissâ itidem Ca-
techumeno: *Accipe, ait, hanc admonitionem, ut ea, qvæ in Catechesibus tra-*
duntur, sic discas, qvò possis ea in perpetuum custodire. Non existimes institutio-
nes illas esse similes homiliis. Qvamvis enim & illæ bonæ sint, & fide dignæ, ni-
hilominus, si qvid in illis hodiè neglexerimus, cras discere poterimus. Hæc verò,
qvæ de lavacro regenerationis per ordinem tradimus documenta, si hodiè negle-
xeris, qvando tandem corrigentur? Imprimis autem observatione

digna sunt verba Augustini ex libr. 1 de Symbolo ad Catechumenos cap. 1: *Accipite filij regulam fidei, quod Symbolum dicitur. Eam cum acceperitis, in corde scribite & quotidie dicite apud vos. — Symbolum nemo scribit, ut legi possit, sed ad recensendum, ne fortè deleat oblivio, quod tradidit diligentia.* Quibus consentanea passim etiam apud Petrum Chrysologum occurrunt. Sic enim ille de Symbolo verba faciens, homilia 57: *Hæc fides, hoc Sacramentum non committendum est chartis, non scribendum literis, quia charta & literæ magis cautæ, quam gratiam proloquuntur: ubi verò Dei gratia, donatio divina consistit, ad pactum fides, altitudo cordis sufficit ad decretum.* Et serm. 58: *Accepturi ergò Symbolum hoc, pactum vitæ, salutis placitum, & inter vos & DEum fidei insolubile vinculum, pectora parate, non chartam: sensum acuite, non calamum: & audita non atramento, sed Spiritu ministrante describite, quia committi non potest caducis & corruptibilibus instrumentis æternum & cœleste secretum, sed in ipsâ arcâ animæ, in ipsâ bibliothecâ æterni Spiritus est locandum.* Et rursus Serm. 62: *Symbolum fidei solâ fide firmatur: non literæ, sed Spiritui creditur, & mandatur cordi, non chartæ, quia divinum creditum non indiget humanâ cautione.* Ex quo porrò factum, ut Patres etiã iidem Symbolum non semper iisdem verbis recenseant, sed nunc his, nunc aliis, ut videre inter alios est apud Irenæum libr. 1 c. 2 & l. 3 c. 4. Tertullianum item lib. advers. hæres. cap. 3, lib. adversus Praxeam c. 2 & lib. de velandis Virginibus c. 1.

XIV. Vel ex eo autem, quod Apostoli Symbolum hoc condiderunt, jam facilè intelligitur, illud, in sensu suo genuino acceptum, omnia, quæ præcisè CREDITU unicuiq; ad salutem sunt necessaria, continere. Quis enim sibi persvaserit, Apostolos imperfectam fidem Ecclesiæ tradere voluisse? Baptizavit insuper hæc semper in istam fidem. Inde enim Irenæus lib. 1 c. 1 Symbolum, quod mox c. 2 recenset, *regulam* vocat *veritatis immobilem, quam unusquisque per Baptismũ accepit.* Et Cyprianus Epist. 76, quæ alias sexta est libri primi

scri-

scribit: *Quodsi aliquis illud opponit, ut dicat, eandem Novatianum legem tenere, quam Ecclesia Catholica teneat, eodem Symbolo, quo & nos baptizare, eundem nosse Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum sanctum, — sciat, — primum non esse unam nobis & Schismaticis Symboli legem, neq; eandem interrogationem. Nam cum dicunt, credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam; mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam.* Quibus verbis non obscurè indicat, Ecclesiam Catholicam in eam, quæ in Symbolo continetur, baptizasse fidem. Nec de aliâ, quàm de hac ipsâ loquitur Hilarius Pictaviensis in lib. ad Constantium Augustum, quum ait: *Oportuerat infirmitatis humanæ modestia omne cognitionis divinæ Sacramentum illis tantum conscientiæ suæ finibus contineri, quibus credidit: neq; post confessam & juratam in Baptismo fidem in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti fuisse adornatum quicquam aliud vel ambigere, vel innovare.* Et posteà: *Regenerati per fidem nunc ad fidem docemur, quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post Baptisma discimus, quasi Baptisma aliquid esse possit sine fide Christi. — Sed impietatis ipsius hinc vel propriè causa perpetua est, quod fidem Apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem Evangelicam volumus confiteri.* Tandem in fine confessionem hujus fidei vocat *Symbolum regenerationis suæ.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 2 mystagogicâ baptizandorum unumquemq; ait fuisse interrogatum, *an crederet in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti, & hinc confessum salutarem confessionem fuisse mersum.* Basilius Magnus, postquam eam, quam in Symbolo profitemur, fidem recensuisset, subdit: *Sic sentimus, & sic baptizamus in Trinitatem consubstantialem, idque ex præcepto ipsius Domini nostri Iesu Christi,* qui scilicet, ut mox addit, ait: *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti,* Matth. 28 vers. 19. Et lib. de Spiritu Sanct. cap. 12: *Sicut credimus in Patrem, Filium & Spiritum sanctum: sic & baptizamus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ac procedit quidem professio ad salutem perducens, sequitur autem baptisma, consignans pactum nostrum.* Ambrosius lib. 2 de Sacramentis

cap. 7 enarrans fidem, in quam Catechumeni, more in Ecclesiâ receptô, fuerint baptizati, ita scribit: *Interrogatus es, credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti, credo, & mersisti. Interrogatus rursus: Credis in Dominum Iesum Christum, & in crucem ejus? Dixisti, credo, & mersisti. Tertiò interrogatus: Credis & in Spiritum sanctum? Dixisti, credo, & tertiò mersisti.* Idem de seipso testatur Epist. 33, quod in baptisteriis Symbolum hoc tradiderit, quod & egregio Commentario illustravit. Hieronymus Dialog. contra Luciferianos solenne fuisse ait, ut in lavacro *post Trinitatis confessionem* baptizandi interrogarentur: *Credis sanctam Catholicam? Credis remissionem peccatorum?* Hoc verò ipso ordine concepti sunt in Symbolo Apostolico articuli Trinitatis confessionem sequentes. Et Epist. 61 ad Pammachium: *Annon tamen*, inquit, *potius scindis Ecclesiam, qui praecepisti Bethlehem posteris tuis, ne competentibus nostris Symbolum traderent?* Rursus in cap. 2 Proverb. *baptizandos*, ait, *profiteri se Symbolum credituros.* Augustinus lib. 50 homiliarum homil. 42 testatur, *moris fuisse in Ecclesiâ, ut baptizandi Symbolum recitarent.* Et lib. de fide & operibus c. 11: *Cur ergò*, quærit, *baptizandi vel Symbolum tradimus, vel reddendum reposcimus?* Quod autem non aliud, quam Apostolicum intelligat, patet ex tot sermonibus, quibus illud in Catechumenorum gratiam exposuit. Salvianus Massiliensis lib. 6 de gubernat. Dei: *Quæ est in Baptismo salutari Christianorum prima Confessio? quæ scilicet, nisi ut renunciare se Diabolo ac pompis ejus, atq; spectaculis & operibus protestentur? Et quid postea? Credo, inquiunt, in Deum Patrem omnipotentem: Et in Iesum Christum Filium ejus.* Synodus Agathensis can. 9 statuit, *ut competentibus ab omnibus Ecclesiis unâ die, videlicet, ante octo dies Dominicæ resurrectionis* (h. e. ipso Palmarum die, qui & Albino Flacco hinc Pascha competentium dicitur in lib. de divinis officiis) *publicè in Ecclesiâ Symbolum prædicaretur.* Unde & Isidorus Hispalensis lib. de Officiis c. 27: *Hoc die* (Palmarum) *Symbo-*

Symbolum competentibus traditur propter confinem Dominicæ Paschæ solennitatem, ut qvi jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem, qvam confitentur, agnoscant.

XV. Neque scrupulum hîc alicui movere debet, quod Ecclesia successu temporum alia pro re natâ confecerit Symbola, veluti Nicænum & Constantinopolitanum, aliaq; ejusmodi. Non enim in illis facta est accessio ullius articuli novi, qui in Symbolo Apostolico non contineretur, sed sensus saltem unius atq; alterius articuli, ab hostibus veritatis impugnati, uberius declaratus est, ne sub tegmine Symboli, in alienum sensum detorti, illi laterent. Sic quod in Symbolo, quo Aquilejensis Ecclesia tempore Ruffini usa fuit, circa primum articulum adjectum est *de DEO invisibili & impassibili*, non novum parit articulum, sed explicatio saltem est vocis, Dei, cujus ratio seu definitio utrumq; comprehendit, adeò, ut qui Deum dicit verum, eo ipso jam & invisibilem ac impassibilem dicat. DEUS enim est *vivens, intelligens, æternum, optimum*, ut vel ipse Aristoteles definit 10 Metaph. 8. Jam autem intellectus naturâ suâ est immaterialis atque hanc ipsam ob causam etiam invisibilis. Æternum autem & optimum quod est, quomodo passionibus posset esse obnoxium? Similiter, quando in Symbolo Nicæno loco ejus, quod in Symbolo Apostolico habetur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem* s. *factorem cæli & terræ*, hæc substituuntur verba: VISIBILIUM & INVISIBILIUM, non novus his verbis exprimitur articulus, sed apertius solùm indicatur, quid priora ista verba, *cæli & terræ*, sibi velint, nempe, quod iis non solùm visibilis hæc mundi machina signetur, sed & reliquæ omnes ab eo comprehensæ creaturæ, tam visibiles, quàm invisibiles, ut sunt Angeli & Arch-Angeli, quemadmodum & Apostolus articulum hunc interpretatur Coloss. 1, 16. Rursus cum ad secundi articuli verba

hæc: *Credo in IEſum Chriſtum, Filium DEI unigenitum*, in Symbolo Nicæno additur: *Et* Ex Patre Natum *ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de* DEO *vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri*, non ſunt hi novi articuli, ſecundum ſubſtantiam diſtincti ab illo, quem verba modò adducta ex Symbolo Apoſtolico produnt, ſed explicatio ejusdem, exhibens ſenſum, quo articulum iſtum jam inde ab initio acceperit Catholica & Apoſtolica Eccleſia. Nam & antiquiſſimi Patres, qui longè ante Nicænam Synodum floruére, Chriſtum non aliam ob cauſam unigenitum Dei Filium eſſe crediderunt, quàm quod ex eſſentiâ Patris ab æterno eſſet genitus, Patri ὁμοούσιος. Hunc ſenſum indicat Ignatius in Epiſtolâ ad Magneſianos de Chriſto dicens: *Qui ante ævum à Patre genitus, erat Verbum Deus unigenitus Filius.* Et Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, Filium Dei *virtutem quandam* vocat *rationalem, quam Deus genuerit* ἐκ αὐτοῦ, *ex ſeipſo*, πρὸ πάντων τῶν κτισμάτων, *ante omnes creaturas.* Idem docent & alii, veluti Athenagoras in legat: pro Chriſtianis, & Irenæus lib. 3 c. 20. Quibus conſentit & Tertullianus lib. adverſ. Praxeam c. 4, ubi apertè *de ſubſtantiâ Patris* Filium eſſe dicit. In Apologetico autem c. 21 cum ait *ex Deo prolatum*, & *prolatione generatum*, & *idcircò Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ.* Dionyſius quoq; Alexandrinus in reſponſ. ad quæſt. 10 *non verbo* eum *productum* eſſe inquit, ſed *ex ſubſtantiâ Patris genitum.* Et Epiſtolâ ad Paulum Samoſatenum vocat illum expreſsè *Verbum Patris ſempiternum, quod* ὁμοούσιον *dixerint jam ante eum probatiſſimi Eccleſiæ Doctores.* Non aliter judicandum eſt etiam de Symbolo Conſtantinopolitano. Quod enim in eo dicitur: *Credo in Spiritum ſanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & glorificatur*, nil niſi ex-

poſi-

poſitio eſt illius articuli, Credo in Spiritum ſanctum. Scilicet verba iſta, *Dominum & vivificantem*, & quæ ſeqvuntur, declarant, quis ſit ſanctus ille Spiritus, in quem pariter ac in Patrem & Filium nos credere dicimus. Sunt enim & alii Spiritus, ſed à Deo creati, veluti Angeli, qui πνεύματα ſeu *ſpiritus* apertè dicuntur Hebr. 1, 14, itemq; intellectus noſter, qui & ipſe ſpiritus dicitur Eccleſ. 12 v. 10. Ab his verò immenſum differt Spiritus ille ſanctus, in quem nos credere dicimus, Spiritus ille, inquam, κατ' ἐξοχὴν ſic dictus, qui non eſt creatus à Deo, ſed ab eo procedit, ejusdem cum illo, æqvè ut Filius, eſſentiæ. Proceſſio autem iſta non peculiarem conſtituit articulum ab eo, qui de ipſo Spiritu ſancto eſt, diſtinctum. Per hanc ipſam enim proceſſionem Spiritus ſanctus Spiritus eſt, quemadmodum per generationem Filius eſt Filius. Ratio ejus hæc propria eſt, quam aliàs exprimere ſolet definitio. Definitio autem, ſive ut Ariſtoteles loquitur 6 Topic. 7 §. 2, τὸ κατὰ τὸν λόγον ἀποδοθὲν, non eſt aliud quid à re definitâ; ſed ταυτὸν, ut Ariſtoteles ibidem ait, τῷ πράγματι, *idem ſunt quoad rem*, differunt autem ſaltem *modo evolutionis*. Quod enim definitum exprimit ἀδιορίστως & ὡς ὅλον τι ſignificat, id diſertè exprimit definitio, διῃρημένη εἰς τὰ καθ' ἕκαστα, 1 Phyſ. 1, ſive, ut Simplicius id effert, quod definitum exprimit κατὰ μονοειδὲς, id definitio indicat κατὰ τὸ πολυμερές. Adoratio autem illa & glorificatio, cujus in Symbolo Conſtantinopolit: fit mentio, eſt proprium conſequens proceſſionis iſtius. Quia enim ex eſſentiâ Patris procedit Spir. S., indeq; ejusdem cum eo eſt ſubſtãtiæ, æquè etiam adorandus & glorificandus eſt, ut Pater, &, qui Patri itidem ob generationem ex ſubſtantiâ ejus ὁμοούσιος eſt, Filius. Unde Juſtinus Apolog. 2 ad Antoninum: *Hunc ipſum* (Patrem) *& qui ab ipſo venit, Filium — & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus.* Rationem ejus in expo-

ſitione fidei dat ſive ipſe Juſtinus, ſive alius expoſitionis iſtius autor: *Unus enim*, inquit, *eſt reverà univerſitatis hujus Deus, qui in Patre & Filio & Spiritu ſancto cognoſcitur.* Quibus ſimilia leguntur quoque apud Athenagoram in legatione pro Chriſtianis, Clementem item in Pædagog. & alios. Unde & Concilium IV Oecumenicum, Chalcedonenſe, ſermon. ad Martianum Imperatorem, in quo Symbolum Nicænum exponit, Act: 16 iſtius Concilij: *Credentibus quidem*, inquit, *ſufficit ad utilitatem fidei indiſcuſſa perſpectio, ad confeſſionem pij dogmatis devotus pertrahens animus. His autem, qui doctrinam rectam pervertere moliuntur, ad ſingula, quæ malè pariunt, oportet occurrere, & eorum objectis congrua quæq; providere. Nam ſi omnes contenti eſſent fidei conſtituto, & pietatis ſemitam nullâ innovatione perturbarent, deceret Eccleſiæ filios nihil amplius excogitare, quàm Symbolo conſtat eſſe declaratum. Sed quia multi à rectâ lineâ per anfractus erroris exorbitant, novum quoddam ſibimet iter mendacij conſtruentes: neceſſe nobis eſt veritatis eos inventione convertere & commentis eorum opponere refutationem, non ut novum ad pietatem, quaſi fidei deſit, ſemper aliquid exquirentes, ſed ut contra ea, quæ ab illis innovata ſunt, excogitantes, quæ ſalubria judicantur.*

XVI. Et hanc ob cauſam Patres paſſim fidem illam, quæ in Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano continetur, ajunt eandem per omnia eſſe cum eâ, quam Apoſtoli Eccleſiæ tradiderint, atque hæc conſtanter ſemper retinuit ac prædicavit. *Pergite*, inquit Epiphanius, fideles & Catholicos ſeu Orthodoxos alloquens, in Ancorato num. 119, *ſanctam hanc Eccleſiæ ſervare fidem, quam ſacroſancta ac ſingularis DEI Virgo ab Apoſtolis Domini ſibi creditam accepit; idemq; Catechumenis omnibus, qui ad Baptiſmum ſe comparant, inculcate diligenter.* Recenſet autem mox num. 120 confeſſionem illam, quæ in Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano conjunctis occurrit. Et ſubdit rurſus: *Hæc fides à ſanctis Apoſtolis nobis tradita.* Et Autores Epiſtolæ Synodicæ ad Jovianum

num Imperatorem apud Theodoretum lib. 4 Hist. Eccles. c. 3, loquentes itidem de confessione Symboli Nicæni: *Vera sanè,* inquiunt, *& pia in Dominum nostrum Iesum Christum fides perspicua omnibus facta est, quæ & in divinis Scripturis nascitur & legitur. In hâc enim sancti quoque martyrio consummati sunt, & nunc cum Domino requiescunt. Mansissetq; fides perpetuò illæsa, nisi hanc hæreticorum quorundam improbitas violare tentasset. — Hinc ergò & Patres nostri in Synodo Nicenâ convenientes — Ecclesiæ Catholicæ fidem* (quam scilicet ubique professa fuerat hactenus) *communi sententiâ conscripserunt. — Hanc fidem, scito, religiosissime Auguste, omnibus seculis fuisse prædicatam. Hanc professi sunt Patres, qui Nicææ convenerunt, cum hâc consentiunt omnes ubique gentium Ecclesiæ, & quamvis pauci quidam huic fidei contradicant, orbi tamen terrarum universo præjudicium afferre non posse scimus.* Hinc addunt formulam confessionis, & tandem concludunt: *In hac fide,* ὡς θεία καὶ Ἀποστολικῇ, *necessariò consistendum est.* Pariter & Cassianus Symbolum *per Apostolos constitutum* esse ait lib. 6 de Incarn. Christi c. 4, & tamen mox indicare volens, de quo loquatur Symbolo, Antiochenum, quod cum Nicæno, sicut αὐτοψία docet, plane idem est, enarrat. Gregorius Nazianzenus, qui Constantinopolitano Concilio interfuit in Epistolâ ad Cledonium: *Nos,* inquit, *fidei, quam sancti Patres Nicæam convenientes exposuere, ad improbandam Arianam hæresin, nihil unquam aut prætulimus, aut præferre possumus; sed illam tenemus ac tenebimus fidem, dilucidius explicantes, quod de Spiritu sancto minus declaratum est. Nondum enim mota erat hæc quæstio, quandoquidem unius Deitatis oportet intelligere Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Deum agnoscendo & Spiritum.* Ruffinus in expositione Symboli, postquam indicasset, Romanam Ecclesiam

Symbolum uniforme absq; notabili verborum additione retinuisse, atq; sic recitatum à Catechumenis fuisse, addit: *In cæteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ* NOVELLÆ DOCTRINÆ SENSUS *crederetur excludi.* Hæc ille. Sic & Augustinus tract. 97 in Johannem Patres Concilii Nicæni *adversus impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen Patri* ὁμοούσιον condidisse ait, sed *non rem novam tali nomine signasse.* Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 32: *Christi Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non addit superflua. — Deniq; quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut, quod ante simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentius crederetur. Hoc, inquam, semper, neque quicquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut, quod prius à majoribus solâ traditione susceperat, hoc inde posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo & pleraque propter intelligentiæ lucem & novum fidei sensum, novæ appellationis proprietate signando.* Patres Concilii Chalcedonensis Act. 6: *Synodus decrevit fidem — integram & intemeratam permanere CCCXIIX Patrum* (Nicææ congregatorum) *& confirmavit doctrinam, quæ de Spiritus sancti substantiâ tradita est, propter illos, qui Spiritui sancto repugnabant, quam illi notam omnibus fecerunt, non quasi aliquid deesset, prioribus adjicientes, sed suum de Spiritu sancto intellectum contra illos, qui Dominationem ejus respuere tentaverunt, - & Scripturarum testimoniis --- declararunt.* Justinianus Imperator libro 1 Codicis tit. 1 de Trinitate & fide Catholicâ lib. 7 §. 3: *Regulam fidei, h. e. sanctam formulam*

seu

seu Symbolum tenemus, & custodimus à 318 sanctis Pp. expositam, & illud, quod in hac regiâ urbe (Constantinopoli) *150 sancti Pp. apertius exposuerunt: non quod defectuosum esset prius, sed quoniam veritatis hostes subvertere cœperunt Spiritus sancti Deitatem.* Concilium Foroiulienſe temporibus Caroli & Pipini coactum: *Si recenseatur,* inquit, *Niceni Symboli series veneranda, nihil aliud de Spiritu sancto in eâ, nisi hoc modo reperiri poterit promulgatum. Et in sanctum, inquiunt, Spiritum. Quid ergò est dicere, in Spiritum sanctum? Quomodo accipienda est tam brevissima eorum professio, nisi devotio & in Spiritum sanctum, sicut & in Patrem, & in Filium probabiliter credidisse: quemadmodum posteà à sanctis CL Patribus, qui contestati sunt, Symboli fidem Niceni Concilij inviolatam perenniter permanere. Suppleverunt tamen, quasi exponendo eorum sensum & in Spiritum sanctum se confitentur credere, Dominum & vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum. Hæc enim & cætera, quæ sequuntur, in Nicæno sacro dogmate non habentur.* Præterea, quæ in eandem sententiam occurrunt apud Hugonem Eterianum Seculo XII libro 3 de hæresibus, quas in Latinos Græci devolvunt, C. 16 tom. 9 Bibl. Pp. Sed nec ea omnia nunc adducere placet, quæ de eadem re leguntur in Concilio Florentino. Pluscula enim illa sunt. Unius saltem Johannis Episcopi, qui Synodo isti interfuit, testimonium adhuc prioribus annectimus ex Seſs: 10: Ita verò illud habet: *Articulum de Spiritu sancto Ecclesia olim Apostolorum tempore profitebatur hoc pacto: Credo in Spiritum sanctum. Quod verò postmodum in Synodo protulit Ecclesia, qui ex Patre procedit, non fuit* νέου ἄρθρου προσθήκη, *novi articuli additio, sed* τοῦ αὐτοῦ τρανοτέρα ἀνάπτυξις, *clarior ejusdem dilucidatio.* Cui geminum est illud Marci Ephesii: *Secundum Sym-*

bolum expoſitio fuit primi, non mutatio aliqua. Sed & Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in Reſponſ. 1 ad Tübingenſes ad Artic. 1 Aug. Confeſs., poſtquam dixiſſet, Symbolum fidei, Nicææ initiò editum, ſed poſteà Conſtantinopoli perfectum, à reliquis V Oecumenicis Synodis fuiſſe obſignatum, ſubdit de his: *qvæ nihil nec addiderunt nec dempſerunt, tanqvam idem ſentientes.*

XVII. Atque hinc porrò Veteres paſſim Symbolum Apoſtolicum regulam fidei appellant. *Apoſtoli adhuc in uno poſiti*, inquit Clemens Romanus l. c: *Symbolum, qvod nunc fidelis tenet Eccleſia, — condiderunt, ut, diſcedentes ab invicem,* HANC REGULAM *per omnes gentes prædicarent.* Irenæus l. 1 c. 1 idem vocat REGULAM *veritatis immobilem, qvam unusqvisq; per Baptiſmum accepit*; alludens ſcilicet ad morem jam inde à principio ab Eccleſiâ receptum, quo ad Baptiſmum non admittebantur, qui à Paganiſmo vel Judaiſmo ad Eccleſiam tranſibant, niſi Symbolum antè recitaſſent. Et lib. 5 c. ult. illud ipſum totidem verbis appellat *regulam fidei.* Sic & Tertullianus lib. adv. hæreticos c. 13, *Regula fidei*, inquit, *eſt — illa* ſcilicet, qua credimus, unum omnino Deum eſſe &c. Et lib. de velandis virginibus c. 1: *Regula*, ait, *fidei una omninò eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem, &c.* Origenes procemio in lib. περὶ ἀρχῶν Symbolum nuncupat *certam lineam & manifeſtam regulam veritatis.* Novatiano qvoq; lib. de Trinit. c. 1 illud dicitur *regula veritatis.* Lucifero autem Calaritano, adhuc Catholico, lib. 2 ad Conſtantium *forma diſciplinæ & regula fidei tradita per Apoſtolos.* His conſentiens & Ruffinus in expoſitione Symboli: *Diſceſſuri*, inquit, *ab invicem Apoſtoli normam prius futuræ prædicationis*

in commune constituunt, & hanc credentibus esse regulam dandam statuunt. Et Augustinus serm. 135 de Tempore: *Symbolum,* ait, *est regula fidei vestræ, brevis & grandis: brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum.* Et serm. 181 de tempore de Symbolo itidem loquens: *Apostoli,* inquit, *certam fidei regulam tradiderunt.* Isidorus verba Ruffini repetit lib. 2 de Offic. Eccl. c. 22 idemq; facit & Rabanus Maurus lib. 2 de institut. Cleric. c. 56. Jam autem ad rationem regulæ spectat, ut sit perfecta eiq; nec addi quid nec detrahi possit, quemadmodum & Varinus annotat, regulam definiens, μέτρον ἀδιάψευστον πᾶσιν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν οὐδαμῶς ἐπιδεχόμενον, *mensuram fallacia expertem & nec additionem nec diminutionem ullam admittentem.* Quâ de causâ & disertè rursum Veteres asserunt, Symbolum Apostolicum complecti omnia ad salutem creditu per se necessaria. Clemens Romanus l. c. ait *in Symbolo recenseri summam totius fidei Catholicæ, & integritatem credulitatis ostendi.* Et posteà dicit, quod *omnibus, quæ in Symbolo continentur, credentibus, salus perpetua bonis actibus præparetur.* Irenæus lib. 1 adv. hæreses c. 3 idem vocat *summam fidei Christianæ, juxta qvam Spiritus sanctus gentes per diversitatem lingvarum cunctarum sub unitatem fidei redegerit, ut Ecclesia, per totum terrarum orbem disseminata, similiter s. uniformiter credat, tanqvam unum cor & unam animam habens, atqve consonanter eam ubiq; tradat ac doceat, qvasi unum os possidens.* Tertullianus lib. de præscr. adversf. hæret. c. 13 Symbolum appellat *regulam, extra qvam nihil scire sit omnia scire.* Origenes lib. 7 Comm. in Roman. 9: *In fide Symboli,* inquit, *totius mysterij summam, paucis nexam sermonibus, contineri.* Huc etiam sine dubio respexit Cyprianus, qvum in lib. de Orat. Dominicâ scribit: *Cui Dei sermo Dominus noster Iesus Christus omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indo-*

ctos, omni ſexui atq; ætati præcepta ſalutis ediderit: præceptorum ſuorum grande fecit compendium, ut in diſciplinâ cœleſti diſcentium memoria non laboraret, ſed, quod eſſet ſimplici fidei neceſſarium, velociter diſceret. Hæc illi tribus prioribus Seculis. Seculo IV Hilarius lib. ad Conſtantium, poſtquam Symbolum recenſuiſſet, addit: *Hæc ego in Spiritu ſancto ita credidi, ut ultra hanc de Domino Ieſu Chriſto fidem non poſſim doceri, non per hæc adimens Patrum fidei religionem, ſed ſecundum regenerationis meæ Symbolum & doctrinæ Evangelicæ ſcientiam ab eâ juxta iſta non diſſidens.* Baſilius Magnus ſerm. de verâ ac piâ fide, in Symbolo dicit contineri *pietatem, quæ inſit in omnibus Scripturæ locis.* Pariter & Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4 Illuminatorũ *Symbolo*, ait, *comprehendi ſummatim* τὰ ἀναγκαῖα δόγματα. Et Catech. 5: *Cum non omnes posſint Scripturas legere, & alios quidem inſcitia, alios verò occupatio quædam impedit à cognitione, ne ob inſcitiam animas perdas, in paucis verſibus univerſam fidei doctrinam comprehendimus.* Et poſt pauca: *Quemadmodum ſemen ſinapis in parvo grano multos continet ramos: ſic & fides in paucis verbis omnem tàm veteris quàm novi Teſtamenti pietatis cognitionem involvit.* Gregorius Nazianzenus Orat. 40 in S. Baptiſma, poſtquam Symbolum Apoſtolicum ſummatim enarraſſet, ſubdit: *Poſtremo loco ſuper hoc dogmatum fundamento,* ἐπὶ τούτῳ τῷ θεμελίῳ τῶν δογμάτων, *bona opera extrue.* Epiphanius ſermone de fide, quem ἀγκύρωτον vocat, Symbolum appellat *ſolidum fundamentum fidei de Patre, Filio & Spiritu ſancto & univerſâ in Chriſto ſalute.* Ambroſius ſerm. de Jejunio Eliæ duodecim Apoſtolorum Symbolo *fidem ſanctam conceptam* eſſe ait. Ruffinus in expoſitione Symboli idem vocat *unanimitatis & fidei Apoſtolicæ indicium.* Hieronym. Epiſt. 61 ad Pammachium cap. 9 in eo contineri aſſerit *omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum.* Chryſoſtomus verò Homiliâ de Symbolo illud nuncupat *ſummam profesſionis noſtræ.* Seculo V. Auguſtinus lib. 50 homiliarum homiliâ 42 de oratione Dominicâ in Symbolo *breviter comprehenſam*, inquit,

teneri

teneri fidem. Et serm. 3 in feria 2 post Dominic. Palmarum: *Symbolum est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, ac oneret memoriam; paucis verbis dicatur, unde multum acqviratur.* Gemina his apud eundem occurrunt sermon. 1 in vigiliâ Pentecostes, item serm. 135, ut & 115 & 119 de Tempore, nec non libro de fide & Symbolo c. 1 & lib. 1 de Symbolo ad Catechumenos c. 1. Maximus Taurinensis serm. de traditione Symboli expositionem ejus his verbis concludit: *Hoc est,* carissimi, *Symbolum, cujus veritas unumqvemq; credentem efficit Christianum.* Johannes Cassianus lib. 6 de Incarn. c. 4: *Sicut immensam illam Scripturarum sacrarum copiam per Patriarchas & Prophetas maximè suos condidit: ita symbolum per Apostolos suos Sacerdotes constituit. Et qvicqvid illic per suos largâ ac redundanti copiâ dilatavit, idem per suos plenissimâ brevitate conclusit. Nihil ergo in Symbolo deest, qvod ex Scriptis ac per Apostolos DEI conditum, totum in se, qvantum ad autoritatem pertinet, habet, qvicqvid vel hominum est, vel DEI.* Cyrillus Alexandrinus Epist. ad Anastasium: *Basis qvadam & fundamentum firmum & inconcussum per universum orbem est illa sincera & irreprehensibilis fidei confessio.* Leo Magnus Epist. 13, quæ est ad Pulcheriam Augustam, *Catholici Symboli brevem & perfectam confessionem,* ait, *duodecim Apostolorum duodecim signatam esse sententijs, tanqvam instructa sit munitione cœlesti, ut omnes hæreticorū opiniones solo illius gladio possint detruncari.* Petrus Chrysologus sermone 57 confessionem fidei, Symbolo Apostolico comprehensam, vocat *salutis Symbolum.* Sermone 58 autem *portam vitæ, salutis placitum ac insolubile inter nos & Deum fidei vinculum.* Denique sermone 61, *formam fidei, ac credulitatis normam.* Ibidem & hæc habet verba: *Sicut fons, ore angusto manans, magnis fluviorum laticibus ampliatur: sic fides Symboli breviato sermone credulitatis lætissimos dat meatus. Et sicut radix altè fixa in excelsum germen se protendit, fides sic radicata pectoris in profundo in excelsum credulitatis cacumen attollitur.* Paschasius in præfat. lib. de Spi-

ritu

ritu sancto: *Fides Catholica in universum mundum per Patriarchas, & Prophetas, & gratiæ dispensatores, Spiritu sancto insinuante, diffusa est. Hanc Apostolica solicitudo atqve perfectio sicut per sanctas paginas dilataverat, ita per Symboli salutem mira brevitate collegit, & tanqvam per diversas remediorum species disposuit in corpus unum, ac velut ex innumeris aromatibus preciosum confecit ungventum: cujus odor omnes fines terræ potentiâ fragrantia Spiritualis implevit, ut in ipso universitatis assensu virtus appareat unitatis.* Seculo VI, Venantius Fortunatus, Episcopus Pictaviensis, in Præf. expositioni Symboli præmissâ, ait, *sibi constitutum esse fidei catholicæ totius summam recensere, in qva integritas credulitatis ostendatur.* Et posteà: *Ergò*, inquit, *cunctis credentibus, qvæ continentur in Symbolo, salus animarum & vita perpetua bonis actibus* (comitantibus) *præparatur.* Seculo VII, Isidorus Hispalensis lib. 6, Origin. c. 9: *Symbolum hoc continet confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ & omne Christiani dogmatis Sacramentum.* Et l. 2 de Offic. c. 22: *Symbolum indicium* vocat *concordis Apostolicæ doctrinæ, & paucis qvidem*, ait, *constare verbis, sed omnia continere Sacramenta.* Seculo IX, Rabanus Maurus lib. 2 de Instit. Clericorum cap. 56: *In eo*, inquit, *Symbolo pauca sunt verba, sed omnia continentur Sacramenta. De totis enim Scripturis hæc breviatim collecta sunt ab Apostolis, ut, qvoniam plures credentium literas nesciunt, vel, si sciunt, præ occupatione seculi Scripturas legere non possunt, hæc corde retinentes sufficientem habeant sibi scientiam salutarem.* Eodem Seculo Parisiis, imperantibus Ludovico & Lothario, Concilium coactum fuit, in quo fundamentum Christianæ religionis Symbolum appellatur. Verba Concilii sunt: *Constat ergò, qvod fundamentum Christianæ Religionis sit fides catholica, hoc est, credere in PATREM, & FILIUM & SPIRITUM SANCTUM.* Tandem Hincmarus, Episcopus Ambianensis in Galliâ, Symbolum vocat *summam Fidei nostræ* in Epistol. Tom. 16 Bibl. Patr.

XVIII. Hæreticus ergò primariò sic dictus is erit, qui articulum aliquem fidei, in Symbolo contentum, intellectum in sensu Catholico & Apostolico impugnat. Nam & Apostolus ipse de hæreticis dicit, quod *naufragium fidei* faciant 1 Tim. 1, 19 atq; ab eâ recedant c. 4, 1. Ex hoc capite hæreticis meritò annumerati olim fuere CERDONIANI, qui Deum Patrem Jesu Christi esse Creatorem omnium rerum conditarum inficiabantur. Introducebant enim *duo principia omnium rerum, seu duos Deos, unum bonum, alterum sævum. Et hunc quidem dicebant mundi conditorem.* Ita de Cerdone, Sectæ hujus auctore, memorat Tertullianus libro de præscript. adversus hæreses c. 5, his verbis: *Hic introducit initia duo, id est, duos Deos, unum bonum & alterum sævum: bonum superiorem, sævum hunc, mundi conditorem.* Quâ in re adstipulatores invenit & MARCIONITAS, nec non APELLITAS. Nam & *hi duos introducebant Deos, unum bonum, alterum malum, quorum tamen hic ab illo factus esset, sed cum malignus esset, inventus fuisset in suâ malignitate mundum fecisse*, teste Augustino lib. de hæresibus, hæresi 23. Sed & ex alio capite inter hæreticos jure fuere scripti Cerdoniani. Negabant enim insuper, contra alterum Symboli membrum, *Christum, natum ex fœminâ habuisse carnem, non verè eum dicebant esse mortuum, vel quicquam passum, sed simulasse passionem*: quin & adversus tertium fidei caput negabant *resurrectionem mortuorum*, quod eodem libro testatur Augustinus hæres. 21, & ante eum Tertullianus l.c. Epiphanius etiam hæresi 41. Philastrius lib. de hæresibus sect. 2, n. 16 aliiq;. In hæreticorum quoq; classem jure fuere redacti SIMONIANI, MENANDRIANI, NICOLAITÆ, SATURNIANI, BASILIDIANI, CARPOCRATIANI, GNOSTICI & similes, qui non Deum, sed Angelos *mundi creatores asserebant*, quod referunt Irenæus lib. 1 c. 20, Epiphanius, Augusti-

nus, Damascenus aliiq; libris de hæresibus. Sed nec immerito HERMOGENES. Docebat quippè, *materiam quandam semper fuisse Deo, non natam, neq; factam, neque initium habentem, sed Deo coæternam, ex qua Deus posteà omnia fecerit.* Item *asserebat Patrem, Filium & Spiritum sanctum unam esse personam*, quem errorem etiam defendit PRAXEAS, quâ de re videndus est Tertullianus in lib. adversus utrumq; scriptis, aliiq;. At nos credimus Deum *creasse* mundum, hoc est, produxisse *ex nihilo*, Hebr. 11, v. 3. Credimus item distinctè in Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Quanquàm & vel ipsæ notiones Patris, Filii & Spiritus sancti discrimen ὑποςάσεων ostendant. Nemo enim sui ipsius Pater aut Filius dici potest. Nec à seipso quis procedere potest. Processio autem ad rationem Spiritus pertinet. Sed nec hæreseωs præter jus & fas postulati fuere illi, qui mundi æternitatem defenderunt. Pugnat enim illa itidem cum naturâ creationis, quam nihil aliud quàm productionem esse ex nihilo diximus. Quod enim ab æterno est, id semper fuit: ex nihilo autem quod productum est, id aliquando non fuit. Semper autem fuisse quidpiam, & tamen aliquando non fuisse, contradictionem importat manifestam. *Ex non extantibus*, inquit Athanasius Orat. 2 contra Arianos, *sunt creaturæ; & non erant, antequam fierent. Quæ autem non sunt, antequam fiant, quînam poterant semper existere?* Porro & hæreseos dica jure scripta fuit CERINTHIANIS. Asseverabant enim, *Iesum hominem tantum esse, nec resurrexisse, sed resurrecturum*, ut iterum memoriæ prodidit Augustinus libro laudato hæres. 7: quin & *ex virgine natum* negabant, quod addit Irenæus lib. 1 c. 25, quod è diametro rursum Symbolo est adversum. Adhæc & NOVATIANIS. Dicebant enim, *hominibus post Baptisma in peccatum prolapsis, etiamsi seriam pœnitentiam agerent, Ecclesiam remissionem peccatorũ*

impertiri non posse, sed esse eos soli misericordiæ divinæ committendos, teste Socrate lib. 4 Histor. c. 23. Ast & hoc dogma Symbolo contrariatur. Juxta illud enim statim post articulum de Catholica Ecclesia confitemur remissionem peccatorum, cujus scilicet conferendæ potestas Ecclesiæ sit concessa. Hic namq; iterum genuinus est Symboli sensus. Quo respiciens & Augustinus serm. 119 de tempore c. 8 ait, *DEUM hoc munus Ecclesiæ donasse, quod confitemur in Symbolo, ut, cum dixerimus sanctam Ecclesiam, adjungamus remissionem peccatorum*. Ulterius hæreticis meritò fuere annumerati & Ariani. Filium enim *non ex Patris essentia genitum esse adstruebant, sed è non extantibus à Patre esse productum*, adeoque non verè esse genitum, nedum unigenitum, ut patet vel ex propriâ ejus Epistolâ, quam ad Nicodemensem Eusebium scripsit, atque apud Epiphanium reperimus hæres. 69 n. 6. Sed nec injuriâ Donatistæ, Luciferiani & alii, quod articulum de Catholicâ Ecclesiâ, per totum terrarum orbem diffusâ, negarent, in partem suam eam coarctantes. Contrarium enim Symbolum nos docet, cum juxta illius tenorem Catholicam Ecclesiam profiteamur, ita dictam, *quod per totum orbem sit disseminata*, ut loquitur Irenæus lib. 1 adversus hæreses c. 3. Item Pelagiani, qui præterquam quod & ipsi negarent divinitatem Domini ac Salvatoris nostri, dicentes, *post Baptismum eum factum Christum, post resurrectionem Deum, alterum assignantes unctionis mysterio, alterum merito passionis*, teste Cassiano l. 1 de Incarn. Christi c. 3; peccatum insuper originis tollebant, eoq; ipso sensũ articuli de remissione peccatorum pervertebant, utpote quẽ non de actualibus solùm peccatis, sed & de ipsâ originis labe semper intellexit Ecclesia, indeq; in confessionem etiam hujus articuli semper parvulos quoq; baptizavit. Sed & gratiæ necessitatem inficiabantur, asseren-

ferentes, *Christum fuisse passum, crucifixum, mortuum non ad præstandam humano generi redemptionem & gratiam Spiritus ad salutem, sed ad præbenda saltem bonorum actuum exempla*, quemadmodum iterum de illis memorat Cassianus l.c. Quod mirum non erat. Qui enim negat peccatum originis & docet, hominem adhuc talem nasci, cujusmodi is olim erat in statu innocentiæ, is hoc ipso etiam fateri cogitur, hominem post lapsum Adami æquè servari posse absque Christi merito atq; potuit primus homo in statu integritatis adhuc constitutus. Unde hactenus benè Faustus Regiensis: *Dum Pelagius peccatum originis denegat, tollit omninò causam, ob quam Redemptor advenerit*, lib. 1 de Lib. Arb. c. 1. Quibus gemina habet etiam ipse Augustinus serm. 8 de Verbis Apostoli c. 6, 7, 8 & lib. 1 contra Julianum c. 6. Id autem qui agit, apertè contradicit Symbolo in genuino suo, hoc est, Apostolico sensu accepto, qui hic est, Filium DEI pro nobis seu propter salutem nostram esse hominem factum, passum, mortuum, ut per eum remissionem peccatorum & vitam æternam impetraremus. Quâ confessione Christiani quoque distingvuntur à Judæis & Mahumedanis. Nam & hi credunt, Christum esse passum & mortuum, ast non eo, quem ex Catholico sensu diximus, fine. Ita sanè, ut nunc alios taceamus, verba Symboli accepit Irenæus lib. 1 c. 2, dicens: *Ecclesia per universum orbem usq; ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumq; discipulis accepit, quæ est in unum Deum Patrem,-- Et in unum Iesum Christum, Filium Dei,* Salutis Nostræ Causâ *incarnatum.* Cui consentit & Symbolum Nicænum, ita habens: *Credo in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. — Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis & incarnatus est: — crucifixus etiam pro nobis &c.* Porrò nec immeritò inter hæ-

reticos

reticos relati sunt & NESTORIANI. Negabant enim, *Iesum Christum*, in quem juxta Symbolum fidei ut Dei pariter & Mariæ Virginis Filium credimus, *esse unum eundemq́, sed alium hunc, alium illum*, ut testatur Cyrillus Alexandrinus libro de rectâ fide ad Theodosium his verbis: *Vnum Christum in duos secernunt &, crassâ quadam separatione inter hunc & illum inductâ, utramq́, seorsum ac quasi per se subsistere contendunt: & alterum quidem, eum nimirum, qui ex Virgine natus est, perfectum hominem; alterum rursus, ipsum Dei Patris Verbum esse dicunt.* Quibus consona etiam habet Vincentius Lirinensis in commonitorio cap. 7, itemq; Justinianus Imperator l. 5 C. de summa Trinitate §. 2 & l. 6, §. 2, necnon Harmenopulus lib. de hæresibus c. 7, aliiq;. Jure quoque optimo hæreticis fuere adscripti TROPITÆ, qui dicebant conversum Verbum in carnem, sicut memorat Philastrius lib. de hæresibus sect. 3, n. 23. Item EVTYCHIANI. Defendebant enim *duas qvidem in Christo ante unionem fuisse naturas, post unionem autem unam saltem remansisse; humanam enim à divinâ fuisse absorptam, indeq́ illum corpus non habere amplius nobis* ὁμοούσιον, referentibus ita Evagrio lib. 1 Hist. Eccl. c. 9, Leone Magno serm. 8 in Natal. c. 5, Flaviano Epist. ad Leonem, Nicephoro lib. 14 Histor. c. 47 & alijs. Ast hoc itidem Confessioni Symboli Apostolici directè est oppositum. Credimus enim juxta illud in ipsum Dei Filium unigenitum, qui conceptus sit de Spiritu sancto & natus ex Maria Virgine, nempè verus homo, nobis secundum carnem ὁμοούσιος, in quâ & passus sit ac crucifixus, mortuus & sepultus. Hic enim genuinus confessionis istius sensus est. Prætereà & hæreseos jure damnati sunt MONOTHELETÆ, quippe statuentes, quod una solùm esset voluntas divinitatis & humanitatis Christi, ceu videre est ex disputatione Africani Pyrrhi cum Maxi-

mo, nec non confessione Macarii Antiocheni extante Art. 8 Synodi sextæ, quorum uterq; sectæ huic fuit addictus. Nam & horum dogma apertè contrariatur Symbolo. Juxta tenorem enim illius credimus, Filium Dei natum esse in tempore hominem non imperfectum, sed perfectum, nobis per omnia æqualem, constantem perfecto corpore & animâ humanâ. Ast perfectus homo non est, qui propriâ voluntate, quippe facultate aliquâ animæ rationalis, ad essentiam ejus pertinente, est destitutus. Tandem, ne eamus longius, & PRÆDESTINATIANI in censum hæreticorum jure fuerunt redacti. Statuebant enim, Deum quosdam ex hominibus, adhuc creandis, ex absoluto quodam beneplacito decrevisse servare; reliquos autem damnationi subjicere, ita, ut hi interitum declinare non valerent, quicquid agerent; nec illi salute excidere possent, etiamsi illecebras carnis, quibuscunq; vellent modis, sectarentur. Perstringit hanc hæresin Arnobius Junior in Psalm. 108, ad vers. 16 Psalmi istius, Et dilexit maledictum, & veniet ei, & noluit benedictionem &c. ita scribens: *Nota ex arbitrio evenisse, ut nollet benedictionem, quæ per Christum affertur, propter hæresin quæ dicit, Deum alios prædestinasse ad electionem, alios ad maledictionem. Hic enim ex delectione suâ maledictionem habere probatur, & nolle suum benedictionis præmium.* Et Sigebertus Gemblacensis ad annum Christi CCCCXV: *Prædestinatiani*, inquit, *vocantur, qui, de Prædestinatione & divinâ gratiâ disputantes, asserunt, quod nec piè viventibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obsit, quod improbè vivant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam.* Ast nonne hoc è diametro repugnat isti nostræ confessioni, quâ Symbolum recitantes dicimus, reversurum aliquando Christum ad judicandum vivos & mortuos, hoc est, ut *justam de omnibus sententiam ferat & impios quidem*

dem ac injustos & flagitiosos & blasphemos in ignem æternum mittat: justis contrà & pietate præditis, quiq́ ipsius præcepta servaverunt atq́ in ipsius charitate, partim jam inde ab initio, partim ex pœnitentiâ perstiterunt, vitam donet atq́ incorruptibilitatem largiatur, gloriamq́ sempiternam afferat, ceu articulum hunc rursum interpretatur Irenæus l. c. à quo sensu nec aliorum alius unquam abiit Catholicorum Doctorum.

XIX. Et hæc causa est, cur passim Veteres hæresin fidei opponant, hæreticos esse dicentes, qui à regulâ fidei discrepant. Sumunt enim hæc vocabula in significatione potiori. Ignatius hinc hæreticos aliquoties *infideles* vocat: non quidem simpliciter, hac enim ratione infideles dicuntur, qui incarnati Verbi οἰκονομίαν omnino negant, ut benè monet Theodorus Balsamon ad canon. 25 Synodi Carthaginensis; sed quod unum vel alterum fidei articulum, creditu omnibus necessarium, controversum reddunt: *Verè passus est pro nobis* (Christus,) inquit Epistolâ ad Smyrnenses, *& verè resuscitavit seipsum*, οὐχ᾽ ὥσπερ ἄπιστοί τινες λέγουσιν τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεπονθέναι, *non, ut quidam infideles dicunt, secundum apparentiam saltem ipsum esse passum.* Et postea de iisdem loquens: Τὰ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι, *Nomina ipsorum, quippe infidelia existentia, non visum est mihi adscribere.* Rursus in Epist. ad Trallianos: *Si autem, quemadmodum quidam sine Deo existentes*, τουτέστιν ἄπιστοι, *h. e. infideles, dicunt, secundum apparentiam passum esse* (Filium Dei,) *quid ego vinctus sum?* Irenæus lib. 3 c. 1 unumquemq; hæreticorum ait depravare *regulam veritatis*, eam nempe, *quam per Baptismum quisq́ accepit*, ut dixerat lib. 1 c. 1, hoc est, ipsam fidei regulam, in Symbolo contentam. Tertullianus lib. de præscript. adversus hæreticos cap. 2: *Hæreses*, ait, *ad languorem*

fidei & interitum esse productas. Et postea: *Hæreses apud eos multum valent, qui in fide non valent.* Porrò c. 4, hæreticos ait *in hæresin fidem demutare.* Et postquam Symbolum fidei recensuisset, subdit: *Hæc regula à Christo instituta nullas apud nos habet quæstiones.* Origenes quoque ob prædictam causam infidelibus hæreticos accenset homiliâ 9 in Numeros: *Idcircò doctrinam Catholicam contradicentium obsidet oppugnatio, ut fides nostra non torpescat, sed exercitiis elimetur. Propter hoc & Apostolus dicebat: Oportet & hæreses esse, ut probati quiq; manifesti fiant inter vos, hoc est, dicere oportet hæreticorum batillis altare circumdari, ut certa & manifesta omnibus fiat fidelium atq; infidelium differentia. Cum enim fides velut aurum cœperit refulgere, & prædicatio ejus ut argentum igne probatum intuentibus resplenduerit: tunc majore cum turpitudine & dedecore hæreticorum voces obscuri æris vilitate sordebant.* Quibus per omnia gemina habet Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ: *Fieri,* inquit, *hoc* (videlicet ut hæreses irrepant) *Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut, dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifestâ luce clarescat. -- Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur.* Rursus de lapsis ad Novatianum hæreticos vocat *desertores fidei.* Et Epistol. 74 ad Pompejum scribit: *Ad hoc malorum devoluta est Ecclesia DEI & Sponsa Christi, ut hæreticorum exempla sectetur, ut ad celebranda Sacramenta cœlestia disciplinam lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christiani, quod Anti-Christi* (hæretici) *faciunt. Quæ verò est animi cœcitas, quæ pravitas, fidei unitatem, de Deo Patre & de Iesu Christi Domini & Dei nostri traditione venientem, nolle cognoscere?* Denique lib. de unitate Ecclesiæ: *Hæresis invenit* (Diabolus,) *quibus subverteret fidem, unitatem corrumpe-*

rumperet. Athanaſius quoq; Orat. contra gentes *hæreticos*, ait, *eſſe deciduos ex majorum traditione* & περὶ τὴν πίϛιν ἀπηλλο-τριωμένους, *naufragos in fide*. In Epiſtolâ autem ad Adelphi-um Epiſcopum & Confeſſorem *improbos* περὶ τὴν πίϛιν, *circa fidem.* Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4 Illum: *Hære-tici*, inquit, *blandis ac bonis verbis lingvæq́ facundiâ ſimplici-um corda decipiunt, nomine Chriſti qvaſi melle illita, impioru͂ dogmatum venenata jacula contendentes, de qvibus omnibus ſimul Dominus ait, videte, ne qvis vos fallat. Ideò & fidei doctrina traditur*, ἡ τῆς πίϛεως διδασκαλία, *& ejus expoſitiones fiunt.* Baſilius Magnus Epiſtolâ ad Amphilochium: *Anti-qvi*, ait, *hæreticos vocarunt* τοὺς παντελῶς ἀπερρηγμένους καὶ κατ' αὐτὴν τὴν πίϛιν ἀπηλλοτριωμένους, *eos, qvi omninò abrupti ſunt & in ipſâ fide ſunt abalienati.* Et poſteà cum dixiſſet, hæreſin eſſe, ut Manichæorum, Valentinianorum & Marcioniſtarum, rationem hanc addit: εὐθὺς γὰρ περὶ αὐτῆς τῆς εἰς Θεὸν πίϛεως ἡ διαφορὰ, *ſtatim enim de ipſâ in Deum fide eſt diſſenſio.* Deniq; ſermone de verâ fide hæreticos dicit ἀλλοτρίους τῆς εὐαγγελικῆς καὶ ἀποϛολικῆς πίϛεως, *alienos ab Evangelicâ & Apoſtolicâ fide.* Fra-ter autem ejus Gregorius Nyſſenus de Deitate Filij & Spiritus ſancti, eos vocat *apoſtatas* ſeu *deſertores fidei.* Greg. Nazianz. Orat. 46 ad Nautarium hæreſeos malum *ad fidei ſanæ everſio-nem* ſcribit eſſe directum. Ambroſius autem in prologo lib. 1 de Spiritu S. hæreticos nominat *fidei exules*, item *fidei ho-ſtes*, lib. 1 Epiſt. 6. Et in Pſalm. 118 Octon. 13: *Hæretici*, inquit, *ſunt impugnatores fidei, veritatis inimici.* Ephræm Syrus de Virtute c. 8: *Devita*, ait, *conſvetudinem hominum hæreticorum & libidinoſorum nihil fidele loqventium.* Epi-phanius in Ancorato num. 9 hæreſin vocat κακοπιϛίαν, ita ſcri-bens: *Vndenam novum hoc in orbem terrarum introductum eſt infidelitatis vel perverſæ potius fidei genus? Nam per-*

versa fides, κακοπιστία, *infidelitate ipsâ deterior est.* Pacianus Baccinonensis Episcopus Epist. 3 ad Sympronianum hæreticos ita alloquitur: *Fides falsa est vestra credulitas. Adultera mulier, hæretica congregatio* est. Theodosius & Valentinianus L. Ariani C. de hæreticis & Manichæis, *refragari*, ajunt, *hæreticos nostræ*, id est, Christianæ, *fidei.* Valentinianus autem sigillatim in Novell. titul. de Manichæis hæreticos vocat *inimicos publicæ disciplinæ & hostes fidei Christianæ.* Theodosius verò, Epistolâ ad Isidorum Præfectum, *fidei proditores.* Uterque rursum cum Gratiano ad Ruffinum lege 23 C. Theodosiani de hæreticis, *fidem hos*, ajunt, *insinuare, qvam non habeant.* Honorius & Theodosius autem ad Olympium & Valentem lege 42 sub hoc ipso titulo ejusdem Codicis, *discordare eos*, inqviunt, *à Catholicis fide & religione.* Et in Epistolâ ad Adrianum unà cum Arcadio l. 4 Cod. ejusdem, Ne sanctum Baptisma iteretur, nominant eos *adversarios Catholicæ fidei.* Philo, Carpathiorum Episcopus, l. c: *Hæretici fideles Ecclesiæ palmites teneros adhuc & novellos frangunt, ob idq́; parvulos esse in fide ostendit, nec firmos, qvos hæretici demoliuntur à fundamento fidei.* Gaudentius Brixiensis tract. 14 de promissione Paracleti: *Alas fidei mens credentis assumit, ut sublimiora terrenis, ut totus in Spiritu constitutus possit comprehendere cum omnibus sanctis, qvæ sit longitudo & latitudo & altitudo & profundum scientiæ DEI. Istas fidei alas hæretici non habentes, de DEO disputant & per terrena volvuntur. — Nec ad notitiam possunt illius immensæ divinitatis accedere, ubi non habet nisi sola mens fidelis accessum.* Optatus Milevitan. lib. 1. advers. Parmenianum, hæreticos apertè vocat *verissimi Symboli desertores.* Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 10: *Hæretici, de Deo falsa sentiendo, ipsam Fidem violant.* Et libro Qq. Evangel. in Matth. qvæst. 11: *Qvoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, benè intelliguntur hæretici, qvia non societate unius Ecclesiæ vel unius fidei, sed societate solius*

nomi-

nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis: at illi, qui in eâdem fide
mali sunt, palea potius quam zizania deputantur: quia palea etiam funda-
mentum ipsum habet cum frumento radicemq; communem. Et posteà:
Inter hæreticos & malos Catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt,
illi autem vera credentes non vivunt ita, ut credunt. — Schismaticos autem
(itidem) non fides diversa fecit, sed communionis disrupta societas. Et lib.
4 de Baptismo contra Donatistas c. 19: Hæreses & Schisma fiunt,
cum dicit plebs carnalis: — Ibo post amatores meos, cum quibus utiq; sive per
fidei corruptionem, sive per elationem superbiæ turpiter fornicatur. Inno-
centius, Episcopus Romanus, Epist. 18 ad Alexandr: hæreti-
cos, ait, à fide Catholicâ desciscere, quod & allegatur in Cor-
pore Canonico caus. 24 quæst. 1 cap. 30. Johannes Cassia-
nus præfat. in libros de Incarn: Nestorium vocat novum fidei
hostem. Et lib. 3 de Incarnat. c. 10, hæreticum compellans:
Persequeris, inquit, Christum in fide, persequeris in Ecclesiâ,
persequeris opinionis impiæ telo, persequeris pravi dogmatis
gladio. Cyrillus Alexandrinus Comment. in Joëlis tertium:
Hæretici ob involuta fallaciarum inventa existimantes, se esse
aliquid, simpliciorum quosdam à rectâ & inculpatâ fide, τῆς
ὀρθῆς τε καὶ ἀμωμύτου πίστεως, avertunt. Et lib. 7 Comment. in
Johann: Hæreticos, ait, impietate novorum dogmatum tentare
seducere animos à sinceritate fidei. Leo Magnus serm. 5 de
Jejunio decimi mensis: Hostis noster, nocendi cupidus & peritus, acriori-
bus invidiæ stimulis incitatur, ut, quos apertis & cruentis persecutionibus impu-
gnare non sinitur, sub falsâ Christiani nominis professione corrumpat, habens
hæreticos huic operi servientes, quos à Catholicâ fide devios, sibiq; subjectos
militare in castris suis sub diversis erroribus fecit. Et serm. 4 in solenni-
tate Nativit. Servatoris nostri: Permanete stabiles in eâ fide, quam
confessi estis coram multis testibus, & in quâ, renati per aquam & Spiritum
sanctum, accepistis chrisma salutis & signaculum vitæ æternæ. Si quis autem
vobis aliud annunciaverit præter id, quod didicistis, anathema sit. Nolite im-
pias fabulas (sic ille hæreses describit) præponere lucidissimæ veritati &,

qvicqvid contra regulam Catholici & Apostolici Symboli aut legere aut audire contigerit, id omninò mortiferum & Diabolicum judicate. Rursus serm. 18 de passione Domini c. 5: *Fugite*, inquit, *mundana argumenta doctrinæ & viperea hæreticorum vitate colloqvia. Nihil vobis commune sit cum eis, qvi, Catholicæ adversantes fidei, solo sunt nomine Christiani.* Anastasius Imperator lege 10 C. de Hæreticis hæreticos *contrarios* esse dicit *orthodoxæ fidei*. Fulgentius autem l. 2 ad Monimum c. 2 *à fide Christianâ eos*, ait, haberi *extraneos*. Et lib. de fide orthodoxâ ad Donatum c. 2 *impugnare eos fidem nostram*. Johannes Maxentius quoque Responsione 1 ad Epistolam Hormisdæ *infideles* eosdem vocat *ac perfidos*: atq; *calorem hæreticum fidei* opponit. Justinus l. 12 C. de Hæreticis: *Hæreticus est omnis non orthodoxus*. *Non orthodoxi* autem Novella 115, c. 3 §. 14 dicuntur, *qvi non sunt Catholicæ Fidei, nec in sacrosanctâ Ecclesiâ communicant, in qva omnes beatissimi Patriarchæ una conspiratione & concordi Fidem rectissimam prædicarunt.* Justinianus lib. 6, C. de Trinit. postquam §. 1 Fidei summam recensuisset, subdit: *Hæc igitur cum ita se habeant, anathematizamus omnem hæresin.* Cur hoc? Nempe quia fidei hæresin omnem, propriissimè dictam, contrariam & ipse arbitrabatur. Et Novell. 132 inquit: *Qvoniam hæretici neq; Dei cogitant timorem, neq; interminantes talibus pœnas ex legum severitate considerantes, Diaboli opus implent, & qvosdam simplicium seducentes sanctæ Fidei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, adulteras collectas & adultera baptismata latenter faciunt, pietatis existimavimus per præsens edictum monere eos, qvi tales sunt, qvatenus & ipsi recedant ab hæretica vesaniâ & nec aliorum animas per simplicitatem perdant, sed magis concurrant ad sanctam DEI Ecclesiam, in qva recta prædicantur dogmata, & omnes hæreses cum principibus suis anathematizantur.* Synodus Mopsvestena sub hoc Imperatore celebrata: *Splendet dilucidè rectæ & immaculatæ Fidei lumen, & sub nulli hæreseos nube tenebris cooperitur.* Extant Acta Concilij hujus inter Acta

Con-

Concilij V Oecumenici confessione seu collatione quinta. Gregorius Magnus lib. 1 Epist. 72 ad Gennadium, Patricium & Exarchum Africæ: *Notum est hæreticæ religionis viros, si ijs, quod absit, suppetit licentia nocendi, contra Catholicam Fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda, si valuerint, Christiani corporis membra transfundant. Cognovimus enim eos contra Catholicam Ecclesiam, Domino ijs adversante, colla subrigere, & Fidem velle Christiani nominis inclinare.* Beda lib. 3 in Cantic: *Benè, ubi capiendas vulpes admonuit, ibi mox vineam singulari appellatione signavit, ubi ob id maximè insequendos & proterendos docet hæreticos, NE FIDEM ECCLESIÆ, quam unam esse oportet, eorum infestatio scinderet atq; in partes distraheret.* Et in 2 Epist. Johan: *Quia contra hæreticos scribere incipit* (Johannes) *qui à FIDEI VERITATE exciderunt, rectè omnium, qui veritatem cognoverunt, unam dilectionem in Spiritu sancto esse commemorat, ut unanimitate simul & multitudine Catholicorum terreat eos, qui ab eorum societate se, cùm pauci essent, segregarunt. — Reverà enim omnes per orbem Catholici unam veritatis regulam sequuntur: non autem omnes hæretici & infideles unanimi errori consentiunt: verum non minus semet alterutrum, quàm ipsam veritatis viam impugnant.* Etherius & Beatus libro 1 advers. Elipandum Toletanæ Sedis Archi-Episcopum: *Licet multa sint hæreses, tamen quotidiè mutantur, & nova quotidiè inveniunt. — Hæretici verò hæreticis detrahunt, quorum filij sunt per doctrinam & fidem: & ipsorum verba reprehendunt: & tamen in altero sensu ipsa dicunt. — Ecclesia autem verba non sunt multa, & ipsa non mutantur, quia firma sunt: & nova non sunt, quia ipsa tota in Symbolo sunt. Et quicquid foras Symbolum est, hæreticorum verba sunt.* Theodorus Studita Epistol. 4 ad Naucration. repetit verba Basilij ex Epistolâ ad Amphilochium atque hæreticos & ipse vocat *abruptos & adversus ipsam Fidem alienatos.* Deniq; Goffridus Vindocenensis Tract. de ordinatione Episcoporum: *Sciendum est,* inquit, *quod ille maximè & magis propriè hæreticus nominetur, qui Fidem Christi, quam accepit, obstinato animo impugnare videtur.*

XX. Quod autem hi non de aliâ fide loquantur, quàm eâ ipsâ, quæ in Symbolo Apostolico continetur, id non solùm verba quorundam ex illis manifestè indicant, veluti Optati Milevitani, Leonis, Etherij & Beati: sed vel ex eo qvoq; constat, quod non raró fide Symboli illius dicant veros Christianos ab hæreticis secerni. Symbolum enim nonnunquam vocatur signum seu tessera militaris, quo milites, sub eodem duce merentes, ab hostibus dignoscuntur. Quo sensu Plutarchus in vita Romuli cap. 2 signum, quod hic Romanis contulerat, σύμβολον vocat. Erat autem hoc, *rei aggrediendæ opportunitatem adesse, cum ipse surgens purpuram in sinum contraxisset, & rursus contractam explicasset.* Nec aliâ ratione apud Herodianum l. 4 τὰ τῶν στρατοπέδων σύμβολα dicuntur. Talem ergò veluti tesseram, quâ sub Christo Duce militantes ab hostibus suis, fidem Christi adulterantibus & pervertentibus, discernerentur, ajunt illi esse confessionem istam, quæ in prædictâ regulâ fidei continetur, quin inde illam & nomen accepisse, ut & ipsa Symbolum vocaretur, asserunt eorum nonnulli. Pertinent huc verba Clementis Romani l. c: *Dicitur* (Symbolum Apostolicum) *& indicium, qvod per illud is, qvi rectè crediderit, indicatur.* Et Irenæus ait lib. 1 adversus hæreses cap. 1: *Qvi veritatis*, inquit, *normam, qvam per Baptismum accepit* (fidem Symboli) *firmam in se atq; constantem retinet, vocabula qvidem ex Scripturis petita & dictiones & parabolas agnoscet: at nefariam & impiam* (hæreticorum) *hypothesin non agnoscet.* Et lib. 3 c. 4 simplices Christianos inter barbaros, qui scripturas nesciverint, hæreticos ait non aliter dignovisse, quàm ex traditione Symboli. Postquam enim Symbolum recitasset, subdit: *Hanc Fidem qvi sine literis crediderunt, qvantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: qvantum autem ad sententiam & consvetudinem, & conversationem*

propter

propter Fidem, per qvam sapientissimi sunt, & placent DEO, conversantes in omni justitiâ & castitate & sapientiâ. Qvibus si aliqvis annunciaverit ea, qvæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloqvens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire qvidem sustinentes blasphemum colloqvium. Si per illam veterem Apostolorum traditionem ne in conceptionem qvidem mentis admittunt, qvodcunq; eorum portentiloqvium est: neq; dum enim congregatio fuit apud eos, neq; doctrina instituta. Tertulliani verba huc facientia jam ante adduximus num. *XIIX.* Ruffinus in expositione Symboli: *Symbolum Græcè indicium dici potest.* — *Ita verò dicitur* (Symbolum Apostolicum) *qvia illo tempore, sicut & Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Iudæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus vel ventris gratiâ ad prædicandum proficiscebantur, nominantes qvidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcircò ergò istud indicium posuére; per qvod agnosceretur is, qvi Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret. Deniq; & in bellis civilibus hoc observari ferunt: qvoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est, atq; eadem instituta bellandi, ne qva doli subreptio fiat, Symbola discreta unusqvisq; dux suis militibus tradit, qvæ Latinè vel signa vel indicia nominantur; ut si fortè occurreret qvis, de qvo dubitatur, interrogatus Symbolum prodat, si sit hostis, an socius.* Augustinus serm. 181 de tempore, Symbolum appellat *confessionem, per qvam credentes Catholicam tenent unitatem, & hæreticorum convincant pravitatem.* Maximus Taurinensis homiliâ de tradit. Symboli: *Beati Apostoli, Christi exemplum seqventes, Ecclesiæ DEI, qvam adversus malitiam Diabolici furoris armabant, mysterium Symbolo tradiderunt,*

ut qvia

ut quia sub uno Christi nomine credentium erat futura diversitas, signaculum Symboli inter fideles perfidosq́ secerneret & alienus à Fide atq; hostis appareret Ecclesiæ. Et in fine ejusdem homiliæ: *Hoc est Symbolum, cujus signaculo Fideles ab infidelibus discernuntur. Hoc est Symbolum, cujus veritas unumqvemq; credentem efficit Christianum.* Hos imitatus & Leo Magnus Epist. ad Pulcheriam idem vocat *brevem & Catholicam professionem, ita instructam, ut solo ipsius gladio omnes hæreses detruncari possint.* Isidorus Hispalensis repetit verba Ruffini l. 2 de Eccl. Offic. c. 22. Etherius & Beatus lib. 1 contra Elipandum: *Contatio dicitur Symbolum, hoc est, qvod plures in unum conferunt. Nam hæretici singulatim sibi adveniunt* (fortè advehunt) *venenum, qvod melle linitum afferunt, & parvulos occidunt. Hæc per Spiritum sanctum videntes Apostoli, conlatione facta in unum, composuerunt Symbolum: ut per ipsum falsos Apostolos convinceret Ecclesia.* Rabani Mauri verba ex lib. 2 de institut. Clericorum cap. 56 non adscribimus. Eadem namq; cum illis sunt, quæ ex Isidoro ante adduximus.

PP. confutat. hæreticor. provocat ad symb. Aplicũ

XXI. Factum quoque hinc, ut passim ad Symbolum provocarent Patres, qvum in confutatione hæreticorum essent occupati. Sanè eum in finem Symbolum illud recenset Irenæus lib. 1 adversus hæreticos cap. 2, ut juxta illius cynosuram hæreses, quas deinceps perstringit, convelleret. Nec alio fine illud in libro de præscriptione adversus hæreticos enarrat Tertullianus. Ad idem quoque recurrit, sigillatim refutans Hermogenem. *Non perseveravit*, inquit lib. adversus Hermogenem c. 1, *in regulâ Hermogenes. Christum Dominum non alium videtur agnoscere, alium tamen facit, qvem aliter cognoscit, imo totum, qvod est Deus, aufert, nolens illum ex*

nihilo

nihilo universa fecisse. Eandem quoq; idem urget adversus Praxeam cap. 2. Postquam enim eam retulisset, subdit; *Hanc regulam ab initio Evangelij decucurrisse, etiam ante priores quoq; hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probavit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Quo peræquè adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum sit, id esse verum, quodcunq; primum: id esse adulterum, quodcunq; posterius.* Porrò ex eadem refutat Cyprianus & Novatianos, protestantes licet, quod in professione fidei nullatenus à Catholicis discreparent: *Quam,* ait, *cum dicunt* (baptizaturi) *credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam, mentiuntur in interrogatione, cum non habeant Ecclesiam? Tunc deinde voce suâ ipsi confitentur remissionem peccatorũ non dari, nisi per sanctam Ecclesiam, quam non habentes ostendunt, remitti isthic peccata non posse.* Et Augustinus sermone qvinqvagesimo nono in Appendice de diversis c. 14, exponens articulum de remissione peccatorum: *Miror,* inquit, *qvosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam.* Ulterius eâdem regulâ se Arianos etiam & Sabellianos, quorum hi hæresin Praxeæ ex orco rursum revocarant, hæreseos, si cum illis negotium sibi intercessisset, convicturum scribit Johannes Cassianus lib. 6 de Incarnat. cap. 5: *Si Ariana,* inquit, *aut Sabelliana hæreseos assertor esses, -- convincerem te — probatâ per universum mundum Symboli veritate: Dicerem te, etiamsi expers intelligentiæ ac sensus esses, oportere tamẽ sequi saltem consensum generis humani: nec pluris facere debere paucorum improborũ perversitatem, quàm Ecclesiarum omnium fidem.* Pelagianos quoque, peccatum originis negantes, hinc confutat Hieronymus lib. 3 adversus Pelagian. scribens:

Hoc unum dicam, ut tandem finiatur oratio, aut novum vos debere Symbolum tradere, ut post Patrem & Filium & Spiritum sanctum baptizetis infantes in regnum cœlorum; aut si unum & in parvulis & in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem prævaricationis Adam. Pariter & Concilium Milevitanum, ut vulgò vocant, seu potius Carthaginense canone 2, posteaquam anathema dixisset negantibus, baptismum dari infantibus in remissionem peccati originis, subjungit: *Qvoniam non aliter intelligendum est, qvod ait Apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in qvo omnes peccaverunt, nisi qvemadmodum Ecclesia Catholica ubiqve diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qvi nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, qvod generatione traxerunt.* Sed & Autor Hypognosticῶν apud Augustinum lib. 5 sub finem: *Verba DEI*, ait, *sunt Symboli verba. Non fefellit DEUS tradens per Apostolos suos Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ, credentes in remissionem peccatorum baptizari. Ad qvid enim jussit baptizari in remissionem peccatorum, si non facit vere remissionem? Imò ideò jussit, qvia facit. Est enim DEUS verax, omnis homo mendax. Omnino in remissionem peccatorū baptizantur & parvuli. Alioqvi non habebunt in regno cœlorum vitam.* Ulterius Nestorium ita alloquitur Cassianus l. 6 de Incarnat. c. 6: *Credo, dixisti in Symbolo, in Dominum nostrum Iesum Christum, Filium ejus unigenitum & primogenitum totius creaturæ. Si unigenitus & primogenitus totius creaturæ Dominus Iesus Christus, ergò tuâ ipsâ confessione indubitanter DEUS. — Et qvomodo itaq; solitarium hominem ex Virgine natum asseris, qvem Deum ante secula fuisse confessus es?* Et Cœlestinus Epistolâ ad Nestorium, quam descripsit Baronius ad annum Christi 430 n. 17: *Inter multa, qvæ à te impiè prædicata universalis recusat Ecclesia è Symbolo, ab Apostolis tradito, plangimus hæc verba fuisse sublata, qvæ nobis totius vitæ*

salu-

salutisq; spem promittunt. Porrò & Sixtus Tertius Epistolâ ad Cyrillum Alexandrinum: *Iuvit*, ait, *animorum vota nostrorum, qui videret, Symbolo primo inter Apostolos tradito derogari.* Deniq; , ne eamus longius, adversus Eutychen & sectatores ejus ita scribit Leo Magn. serm. contra Eutychen c. 1: *Ideò fraternâ vos & paternâ solicitudine commonemus, ut inimicos Catholicæ fidei, hostes Ecclesiæ, incarnationis Dominicæ negatores, & instituto à sanctis Apostolis SYMBOLO REPUGNANTES, in nullum recipiatis consensionis affectum.* Et Epist. 13 ad Pulcheriam Augustam: *Hujus Symboli (dico Apostolorum duodecim signati sententijs) plenitudinem si Eutyches puro & simplici voluisset corde concipere, in nullo à decretis sanctissimi Niceni Concilij deviaret, & hoc à sanctis Patribus intelligeret institutum, ut contra Apostolicam fidem, quæ non nisi una est, nullum se ingenium, nullum elevaret eloquium.*

XXII. Dices fortè, provocasse tamen & provocare adhuc ad Symbolum Apostolorum etiam ipsos hæreticos? Non negamus. Nam & Augustinus lib. de Fide & Symbolo c. 1. ait, *hæreticos in Symbolo venena sua occultare.* Et de Photino Ruffinus in expositione Symboli testatur, *quod in Symbolum commentarium scripserit, idq; ad argumentum sui dogmatis trahere fuerit ausus.* Sed quid inde? Annon enim hæretici etiam ipsius Scripturæ testimoniis errores suos palliare conantur? Sanè id omnibus hæreticis est familiare: quod & passim observant Patres. *Diabolus tentat Christum per mendacium, abscondens Scripturam, quod faciunt omnes hæretici,* inquit Irenæus lib. 5 c. 21. Et Tertullianus libr. de præscript. advers. hæreticos c. 15: *Hæretici*, inquit, *Scripturas obtendunt, & hâc suâ audaciâ statim quosdam movent, in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Hilarius quoque Pictaviensis lib. 4 de Trinitate: *Videntur sibi hæretici de singulis, quæ afferunt,*

præstare rationem, quia singulis assertionibus suis quadam ex divinis voluminibus testimonia subdunt. Et lib. ad Constantium, quem ipse ei tradidit, in fine: *Sed memento tamen, neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas prædicere ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Plura, his gemina, qui volet, legere potest Athanasium lib. 1 contra Arianos, Ambrosium item libr. 4 Comment. in Lucam, Hieronymum in c. 2 Haggæi, nec non Vincentium Lirinensem c. 35. Numquid ergò ne ex Scripturis quidem convinci possunt hæretici? Id quidem haud facilè quispiam affirmaverit. Quamvis enim ad literam Scripturæ se recipiant hæretici, sensum tamen illius genuinum non seqvuntur, sed in alienum planè ac depravatum eam detorquent sensum. *Vocabulis solis adhærent,* ait de illis Clemens Alexandrinus lib. 7 Stromatum *mutatis significationibus: neq; qvomodo usurpata sint cognoscentes, neq; utentes ijs pro rerum naturâ.* Unde & Cyprianus in Epist. ad Novatianum *legi potius* apud eos Scripturam dicit, *qvàm intelligi.* Et Hilarius prædicto ad Constantium libro: *Omnes,* inquit, *Scripturas sine sensu loqvuntur, fidem sine fide prætendunt.* Epiphanius insuper hæresi 25, quæ est Nicolaitarum, num. 4: *Quæ,* inquit de illis, *rectè sunt dictæ voces, eas isti transformant in idola.* Eadem verò hactenus & Symboli ratio est, cujus & articuli omnes totidem ferè verbis in Scripturis expressi habentur. Nempe sic etiam ad illud provocant hæretici, ut tamen sensum ejus genuinum non retineant, & quod olim Cyrillus Alexandrinus Nestorio, Symbolum Nicænum pro se alleganti, in Epistolâ, ad ipsum Nestorium scriptâ, de Excommunicatione respondebat: *Non sufficit, si Symbolum fidei nobiscum confitearis. Non enim rectè intelligis illud, nec interpretaris, sed magis perversè, licet dictionem ejus ore confitearis;* idem omnibus hæreticis, Symbolum

bolum Apoſtolicum ſibi favere putantibus, optimo jure queat reſponderi. Regulam autem fidei qvum Symbolum Apoſtolicum dicimus, non tam ad apices verborum, quam ad ſenſum ejus genuinum, ut in præcedentibus quoq; jam ſæpius innuimus, reſpicimus. Senſus enim vocum veluti anima eſt. Nec verborum Symboli recitatio fidelem aliquem facit, ſed amplexus ejus in eo ipſo, cum quo Apoſtoli illud Eccleſiæ tradiderunt, ſenſu, quemadmodum & ex oppoſito *hæreſis* conſiſtit *non in verbis, ſed in ſenſu*, ut inter alios docet etiam Hilarius lib. 2. de Trinitate ſcribens: *De intelligentia hæreſis, non de Scriptura eſt, & ſenſus non ſermo facit crimen.* Denique & Scriptura regula fidei demonſtrandæ non eſt, niſi rectè & ſanè intellecta. *Non* enim *in legendo Scripturæ conſiſtunt, ſed in intelligendo*, ut idem Hilarius docet lib. 5 de Trinitate. Quod repetit & Hieronymus in fine Dialogi contra Luciferianos.

XXIII. Sed quærat quis fortaſſis, unde ergo de ſenſu genuino Symboli conſtet? Qvamvis enim eum non aſſeqvantur hæretici, id tamen illi ſibi non perſvadere patiuntur, quin eum ipſum potius, quem ipſi afferunt, pro certô venditant præfractè. Verum eadem ratione qværi poſſet, unde conſtet, eum, qui affertur, eſſe genuinum loci cujusdam Scripturæ, in quo de aliquo fidei articulo ex profeſſo atq; in propriâ ſede agitur, ſenſum? Hîc ſine dubio reſpondebitur, eum ſenſum, ceu genuinum, eſſe amplectendum, quem verba ipſa ſimul ac auditu percipiuntur, intellectui uniuscujusq;, etiam ſimplicis hominis, ingerunt. Ad fidem enim quæ ſpectant, ea cognoviſſe omnium intereſt, indeq; in propriis ſuis locis ſimplicibus verbis ſunt proponenda, ut omnes intelligant, quod omnibus dictum eſt. Quâ de cauſâ & στοιχεῖα appellantur Hebr. 5, 12, rudi-

menta seu elementa eloquiorum Dei, quod facilem habeant intelligentiam. Indeq; & Justinus in Dialog. cum Tryphone disserens de Deitate Christi & Trinitate personarum, primariis fidei articulis: *Advertite*, inquit, *animum ad ea, quæ ex sanctis Scripturis commemorat, & non explicatione aliqua sed auditu duntaxat opus habent.* Irenæus quoq; lib. 2, cap. 46: *Sensus autem*, ait, *sanus & qui sine periculo est, & religiosus & amans rerum, quæ quidem dedit in hominum potestatem Deus, & subdidit nostræ scientiæ, hæc promptè meditabitur, & in ipsis proficiet diuturno studio, facilem sententiam eorum efficiens. Sunt autem hæc, quæ ante oculos nostros occurrunt, & quæcunq; apertè, & sine ambiguo ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis, & ideò parabolæ debent non ambiguis adaptari.* Et cap. 47: *Habentes itaq; regulam ipsam veritatem & in apertum positum de Deo testimonium, non debemus per quæstionum declinantes in alias atq; alias absolutiones ejicere firmam & veram de Deo scientiam. — Exercere quidem convenit per inquisitionem mysterij; — nunquam autem excidere ab ipsâ suasione, quæ manifestissimè prædicatur.* Consentiunt his & alij. Sic enim scribit Tertullianus libr. de resurrectione carnis: *Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. Communes enim sensus simplicitas ipsa commendat, & compassio sententiarum & familiaritas opinionum eoq; fideliores existimantur, quia nuda & aperta & omnibus nota definiunt.* Origenes libr. 7 contra Celsum: *Ita divina providentia providens non solis eruditis Græcis, ut existimatur, sed etiam reliquis, condescendit ad idioticum captum audituræ multitudinis, ut consuetis verbis apud eum utendo imperitos ad auscultandum alliceret, præsertim, cum eis facilè foret post primam illam introductionem studiosè scrutari sensus reconditiores in*

sacris

sacris Scripturis & pervestigare. Lactantius Firmianus l. 6 Instit. cap. 21: *Num Deus & mentis & vocis & lingvæ artifex disertè loqvi non potest? imò verè summa providentia carere fuco voluit ea, qvæ divina sunt, ut omnes intelligant, qvæ ipse omnibus loqvitur.* Gregorius Nyssenus in vitâ Gregorij Neo-Cæsariensis: *Apprehendit firmum ac stabile verbum fidei, qvod non redundat aliqvâ verborum curiositate & artificiosis argumentorum nexibus confirmatur, sed per simplicitatem verborum ex æqvo annunciatur omnibus, qvod eo ipso, qvo sit supra fidem vim fidei hauriendæ habeat.* Et lib. 1 contra Eunonium: *Horribile & exitiale esse asseveramus, cum has voces* (Patris, Filij & Spiritus sancti) *malignè pervertere; tum alias illis omninò contrarias excogitare, qvæ ad eas infirmandas & eludendas inveniuntur, ac si verbum Dei vellent emendare & corrigere, qvod nobis lege edixit has voces in fide constanter tenere. Harum siqvidem appellationum unaqvæqve dum in activâ significatione,* διὰ τῆς προσφυῦς σημασίας, *mente percipitur regula veritatis atqve pietatis norma & lex Christianis efficitur.* Hieronymus in Psalmum 86: *Dominus narrabit in Scripturis populorum, in Scripturis sanctis. Qvæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc est, ut omnes intelligant. Qvod dicit, hoc est, sicut scripserunt Apostoli, sic & ipse Dominus, hoc est, per Evangelium suum locutus est, non ut pauci intelligerent, sed ut omnes.* Johannes Chrysostomus homiliâ 3 de Lazaro: *Fieri non potest, ut omnia* (in Scripturis) *ex æqvo ignores, propterea sic Spiritus sancti gratia dispensavit illa temperavitqve, qvo Publicani, Piscatores, tabernaculorum opifices, Pastores & Apostoli, idiotæ & illiterati per hos libros salvi fierent, ne qvis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem. Vt omnibus facilia conspectu essent, qvæ dicuntur, ut & opifex & famulus & vidua*

dua mulier, & *omnium hominum indoctissimus ex auditâ lectione aliqvid lucri utilitatisq; reportaret.* Par ergò & Symboli est ratio. Nempè quia in eo proponuntur, quæ omnibus, etiam simplicissimis, hominibus creditu ad salutem sunt necessaria, dubium non est, quin ejus verba in simplicissimo accipienda sint sensu. Unde & Ruffinus simplicitatem Symbolo tribuit: *Nos*, inquit, *in expositione ejus, simplicitatem* (Symboli) *verbis Apostolicis reddere tentabimus.* Et Eusebius Gallicanus homil. 2 de Symbolo: *Hanc nobis*, ait, *velut magnam lampadem Christus adveniens servantibus viam monstraturus exhibuit, per qvam possit Deus ignotus reqviri, qvæsitus credi, creditus inveniri.* Et postquam ostendisset, quàm prolixa fuissent Veteris Testamenti præcepta, subdit: *Ecce, post hæc venitur ad Christianos & sola exspectatur à Christo populi penè unius verbi expedita confessio: Credo. Ecce, qvid à te reqvirit immensa illa pietas, qvod facilè possit implere nuda paupertas, despecta mediocritas, indocta simplicitas. Non per multas distraheris ambages, nec duris difficultatibus involveris.* Sed & pertinent huc, qvæ ante utrumqve scripsit Gregor. Nazianz. Orat. 26, qvæ est de moderatione in disputationibus servanda: *Nihil fide nostrâ iniqvius fingi posset, si in eruditos tantùm dicendiq; facultate ac Logicis Demonstrationibus excellentes caderet, popularis autem multitudo, ut auro & argento, aliisq; omnibus rebus, qvæ hîc in pretio habentur, atqve à plerisq; avidissimè expetuntur, sic hac qvoqve frustraretur, ac DEUS id, qvod altum & excelsum est, atqve ad paucos pertingit, gratum acceptumq; haberet, contra qvod propinqvius est, nec vulgi captum, superat, aspernaretur, & ejiceret.* Hæc ibi Nazianzenus, qvibus mox subdit: *Melior est pauper ambulans in simplicitate suâ & qvi sermonis ac scientiæ inopiâ laborat, simplicibus verbis*, τοῖς ἁπλοῖς ῥήμασιν, *innititur atqve in illis tanqvam in parvâ & tenui rate salutem conseqvitur, qvam fatuus labiisq; perversus, qvi disputationibus & argumentis ineptè atqve impiè confidit.*

XXIV. Hic ergò genuinus Symboli sensus est, qvem verba statim de se fundunt, sive qvi mox cujusvis verba audientium animo occurrit, non doctiorum solùm, sed & simpliciorum, à qvo deviantes hæretici alium sibi fingunt, *non ex dictorum virtute tractum*, ut loqvitur Hilarius lib. 2 de Trinitate, sed contortum & violentum. Hic enim hæreticorum mos est, ut *vim inferant verbis*, qvemadmodum Clemens dicit libr. 7 Stromatum, vel, ut ex Epiphanio Hieronymus Epist. 60, *ut verba torqveant*. *Hæretici*, ait & Optatus Milevitanus libr. 1, contra Parmenianum non multum ab initio, *veritatis exules, sani & verissimi Symboli desertores de sinu Ecclesiæ sanctæ, impiis sensibus depravati, contempto qvod benè fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, de se nasci voluerunt.* Qvod ita omninò se res habeat, manifestum est per inductionem. Veluti, ut uno saltem nunc atqve altero exemplo rem hanc illustremus, in primo Symboli articulo Deus vocatur CREATOR cœli & terræ. Hîc si observetur, qvæ sit propria vocis, *creare*, significatio, in lucem jam fuerit protractus genuinus articuli hujus sensus. Indicavimus cum jam suprà, ubi creare propriè idem esse diximus, qvod producere qvidpiam ex nihilo. In eo enim differt creatio à generatione & ποιήσει propriè dicta. Generatio productionem designat ex ipsâ producentis substantiâ: ποίησις productionem ex materiâ externâ: creatio autem productionem ex nihilo. Qvo respiciens & Apostolus Rom. 4, 17 ait, Deum vocare τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, hoc est, *qvidvis vel uno verbo ex nihilo producere*. Et Athanasius Orat: 3 contra Arianos ait: ἴδιον τῶν κτισμάτων τὸ μὴ εἶναι, πρὶν γένεσθαι, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ὑφίστασθαι. *Proprium creaturarum est, non esse, antequam fiant & ex non exstantibus subsistere.* Augustinus qvoq; libr. adversus Felicianum c. 7: *Creatura est ex eo, qvod aut adhuc non est, aut*

Disp. IV.
Respondente
JOHANNE
FRIDERICO CORVINO,
Hornburgo-Halberstad: Saxone.

aliqvando non fuit, rei cujuslibet corruptibilis, qvantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia. Ast HERMOGENES creationem definiebat productionem ex materiâ Deo coæternâ, cujusmodi productio creatio propriè non est, sed ποίησις, per qvam ideo mundum cœpisse, Plato docuit, qvod ex materiâ eum statueret ortum. Qvâ de re cùm ipse videndus est in Timæo, tùm & Theodoretus sermon: 4 de curandis affectionibus Græcorum, ut alios nunc taceamus. In secundo articulo credere nos confitemur in Jesum Christum, FILIUM DEI UNIGENITUM. Hîc si iterum expendatur, qvid propriè sit *unigenitum* esse, erit & hujus articuli fidei genuinus sensus detectus. Dicitur propriè *genitus* is, qvi ex substantiâ alicujus est productus; *unigenitus* autem, qvi solus ex essentiâ alterius originem traxit. Unigenitus ergò Dei Filius dum Christus dicitur, eo ipso nihil aliud innuitur, qvàm hoc, qvod solus sit Patris Filius ob productionem ex ejus substantiâ. *Hoc* enim *nomen*, ut benè ait Faustinus, *non habet socios, & licet alij dicantur Filij, adoptione tamen, non naturâ sunt Filij.* At EUNOMIUS unigenitum vocari Filium ajebat, non qvod unus ac solus à Patre esset genitus; sed qvod singulari aliqvâ ratione esset procreatus à DEO, nempe *solus à solo, cum reliqva per ipsum, ceu instrumentum, à summo Deo essent fabricata*, ceu constat ex Basilio libro 2 contra Eunom: & Cyrillo libro 25 Thesauri. Sed qvis non videt, contortam planè hanc esse expositionem, qvin ne probabilem qvidem? Si enim ob eam causam unigenitus appellandus esset Dei Filius, qvod non simili ratione ac reliqvæ creaturæ fuerit conditus, *qvalibet alia creatura, dissimilis alteri, unigenita censenda esset, atqve ita plures essent unigeniti*, ut benè concludit Basilius libr. 4 contra Eunomium. Veluti primus hominum parens, Adamus, appellandus esset unigenitus. Fuit enim singulari modo procrea-

creatus, nempe ex *glebâ terræ*, Gen. 2, 7: pariterq; & unigenita dicenda esset Eva, qvoniam & ipsa singulari producta est ratione, videlicet ex *costa viri*, vers. 22. Deniqve in articulo tertio Symboli dicimus: Credo RESURRECTIONEM CARNIS. Qvæ verba propriè accepta nihil aliud indicant, qvàm fore, ut aliqvando hæc ipsa caro, seu hoc ipsum corpus, qvod hîc cecidit per mortem, rursum erigatur & vivat. Resurrectio enim nihil aliud est, qvàm δευτέρα τȣ͂ πεπτωκότος στάσις, ut Damascenus loqvitur lib. 4 Orthodox: fidei c. 28, *ejus, qvod cecidit, iterata statio.* Carnis autem appellatione usitatè etiam in vulgari sermone corpus designatur. Ast qvàm longè ab hac expositione abierunt HYMENÆUS & PHILETUS, dicentes, resurrectionem jam esse factam, teste Apostolo 2 Tim: 2, v. 17, intelligentes fortè per resurrectionem animæ profectum à vitiis ad virtutem contendentis? Qvanqvam alij existiment per resurrectionem illos intellexisse eam, qvæ per liberorum procreationem fit, successionem, inter qvos est & Theodoretus, ita scribens in Comm: τὰς ἐκ παιδοποιΐας διαδοχὰς ἀνάστασιν οἱ δυσώνυμοι προσηγόρευον, *successiones, qvæ per liberorum fiunt procreationem, resurrectionem infelices appellarunt.* Qvæ verba repetit & Oecumenius. Sedulius huic expositioni jungit adhuc alias, qvando in Comment: ita scribit: *Dicebant* (Hymenæus & Philetus) *factam jam esse resurrectionem, id est, eo, qvod succedunt filij post parentes. Aut illi tantum resurrexerunt, de qvibus in Evangelio: Et multa corpora sanctorum, qvi dormierant, resurrexerunt. Aut factam esse resurrectionem, id est, animas in alia corpora transire putantes secundum Platonicum errorem.* Deniqve Primasius in Commentario: *Resurrectionem*, inqvit, *ponebant in filijs, sive in animâ, cum à vitijs resurgit.* Sed & VALENTINUS resurrectionem corporis contra apertam Symboli literam in dubium trahebat.

hebat. *Carnis enim resurrectionem negabat, animam tantùm & spiritum per Christum salutem accipere affirmans*, testibus Augustino libr. de hæresibus c. 11. & ante eum Philastrio sect: 2, num. 10.

XXV. Ut autem eò magis in genuino isto, qvem ex verbis simpliciter acceptis hausimus, Symboli Apostolici, sensu confirmemur, in subsidium vocare ulterius possumus cùm Scripturam sacram, tùm Ecclesiæ traditionem. *Qvod enim in principio præconiaverunt Apostoli, id postea per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum*, ceu loqvitur Irenæus lib. 3 advers. hæreses c. 1, nempe, ut inde pleniorem illius, qvam ex verbo prædicato percepissemus, fidei intellectum peteremus, eumq; adversus contradicentes statuminaremus. Explicarunt qvoq; insuper Apostoli vivâ voce Symbolum, & tàm ejus, qvàm ipsius Scripturæ verum sensum Ecclesiæ tradiderunt, qvæ & fideliter illum asservavit, adeò ut hinc στύλος καὶ ἑδραίωμα, *columna & firmamentum veritatis* dicatur, 1 Tim. 3, 15. στύλος enim inqvit Julius Pollux lib. 1 Onomastici c. 8, καὶ κίων ὀνομάζεται, *etiam columna nuncupatur*. Qvo sensu hæc vox etiam accipitur in senario illo, qvem citat Suidas, somnij interpretationem continente: Στύλον κρατῶν ἔλπιζε τὴν θείαν χάριν, *columnam tenens spera divinam gratiam.* In specie autem hoc nomine veniunt columnæ, qvibus leges vel affigi, vel incidi solent, aut etiam alia negotia & monimenta, qvæ nosse omnium interest. Qvo sensu & vox στήλη ejusdem cum alterâ illâ originis passim ab exteris Scriptoribus usurpatur. Veluti à Dionysio Halicarnasseo, qvi lib. 10 de Decemviris agens: *Leges*, inqvit, *plebiscito confirmatas & columnis æreis*, στήλαις χαλκαῖς, *incisas in fori loco maximè conspicuo deinceps proposuerunt.* Et Dio Cassius l. 41: *Sol*, ait, *totus defecit*, καὶ κεραυνοὶ τὰς στήλας, τὰς

τὰς

τοὺς νόμους ἐχούσας ἐλυμήναντο, *& columnæ, in qvibus leges extabant, de cælo tactæ sunt.* Meminit ejusmodi columnarum idem & lib. 56, ubi de Galbâ verba facit, nec non Plautus in Trin: Actu 4 scena 3, Livius lib. 2, Svetonius lib. 4, c. 41. Macrobius libr. 1. Saturn: cap. 15 & alij passim. Ἑδραίωμα verò idem est, qvod *basis, firmamentum* aut *stabilimen.* Ἑδραιόω namq;, unde illud descendit, idem significat qvod *stabilio, fundo, firmo,* sicut ἑδραῖος idem, qvod *stabilis* & *firmus*, observante & Hesychio in Lexico, qvum scribit: Ἑδραῖον, βάσιμον, στερεὸν, ἑδραῖον, *stabile, solidum, firmum.* Et Suidas in Lexico: Ἑδραίωμα, inqvit, στήριγμα, *fulcimentum, stabilimentum.* Dicitur ergò Ecclesia columna & stabilimentum veritatis, qvod in illâ immota ac stabilita stet veritas, nempe divina, salutis obtinendæ causâ nobis patefacta. *Fidem continet & prædicationem*, inqvit Chrysostomus homil. 11 in 1 Tim: de Ecclesiâ disserens, *qvippe veritatis Ecclesia & columna & firmamentum est.* Autor Commentarij apud Hieronymum in 1 Tim: *Ecclesia est columna veritatis, in qvâ solâ veritas stat firmata, qvæ sola sustinet ædificium.* Qvæ verba repetunt Sedulius & Primasius in suis commentarijs. Theodoretus itidem in comment: *Domum Dei & Ecclesiam appellavit cœtum eorum, qvi crediderunt. Hos dixit columnam veritatis & firmamentum. Supra petram enim fundati stabiles & immobiles permanent & rebus ipsis dogmatum prædicant veritatem.* Beda in Jobi 26: *Ipsa Ecclesia, qvæ est sanctorum congregatio, pro æternâ sibi in Domino stabilitate columna & fundamentum dicitur veritatis.* Oecumenius in Comm: ad c. 3, 1 Tim: *Ecclesia est columna & stabilimentum, hoc est,* βεβαίωσις, *firmamentum veritatis: templum verò Ierosolymitanum erat stabilimentum typorum veritatis.* Qvibus omnibus accedit & Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in Actis cum Tübingensibus

Resp. 1 ad articul. 1 scribens: *Ecclesia Christi columna est & fundamentum veritatis. — Etiamsi enim aliqui monstrosâ imaginatione aliqvid pervertant, nihilominus ea manet stabilis & inconcussa, fundata firmiter in petrâ & ijs, qvibus innititur veritas.* Non aliter verò & nostrates de eâdem re judicant. Sic enim Apologia Augustanæ Confessionis articul. de Ecclesiâ: *Dicimus existere Ecclesiam, videlicet verè credentes ac justos sparsos per totum orbem. Et addimus notas, puram doctrinam Evangelij & Sacramenta. Et hæc Ecclesia propriè est columna veritatis. Retinet enim purum Evangelium, &, ut Paulus inqvit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitionem & fidem.* Et Repetitio Corporis Doctrinæ Prutenici non procul à principio: *Qvicqvid extra hanc doctrinam* (Christi) *proponitur, non est Ecclesia. Illa enim vocem Christi ita audit, ut alienam fugiat, Ioh. 10.*

XXVI. Atqve hinc & Patres passim, cum genuinum Symboli sensum detegere intendunt, non solum ad Scripturam, sed & ad traditionem provocant. *Ecclesia omnis per universum orbem hanc accepit ab Apostolis traditionem*, ait Irenæus de exposit: Symboli loqvens lib. 2 c. 9. Et lib. 3 cap. 3: *Traditionem,* inqvit, *Apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesiâ adest perspicere omnibus, qvi vera velint audire.* Rursus cap. 4 ejusdem libri: *Tantæ igitur ostensionis cum sint hæc, non oportet adhuc qværere apud alios veritatem, qvam facilè est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli qvasi in depositorium dives plenissimè in eam contulerint omnia, qvæ sint veritatis. — Etsi qvibus de aliqvâ modicâ qvæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiqvissimas recurrere Ecclesias, in qvibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti qvæstione sumere, qvod certum & re liqvidum est.* Porrò cap. 40: *Prædicationem Ecclesiæ undiq; constantem*

tem & aqvaliter perseverantem & testimonium habentem à Prophetis, & ab Apostolis, & ab omnibus discipulis, custodimus. — Hoc enim Ecclesiæ creditum est Dei munus, videlicet, ut fidem ab Apostolis acceptam intaminatam servet, qvemadmodum aspiratio plasmationi, ad hoc, ut omnia membra percipientia vivificentur, & in eo disposita est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ & confirmatio fidei nostræ & scala ascensionis ad Deum. In Ecclesiâ enim posuit Deus Apostolos, Prophetas, Doctores & universam reliqvam operationem Spiritus, cujus non sunt participes omnes, qvi non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant à vitâ per sententiam malam & operationem pessimam. Vbi enim Ecclesia, ibi & Spiritus Dei, & ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia & omnis gratia. Spiritus autem veritas. Gemina his occurrunt apud eundem & libr. 4, c. 45, item libr. 5, c. 20, & alibi passim. Clemens Alexandrinus libro 7 Stromatum loqvens de vero tàm Symboli, qvàm Scripturæ sensu: *Homo*, inqvit, *Dei & Deo fidelis esse desinit, qvi adversus Ecclesiasticam traditionem recalcitravit & in humanarum hæreseωn desiluit opiniones.* Tertullianus libro de præscript: adversus hæreticos cap. 21: *Qvid prædicaverint Apostoli, qvid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, qvas ipsi Apostoli condiderunt. Si ita hæc sunt, constat perinde, omnem doctrinam, qvæ cum illis Ecclesiis Apostolicis & matricibus & originalibus fide conspirat, veritati deputandam, reliqvam verò omnem de mendacio præjudicandam.* Origenes in proœmio librorum περὶ ἀρχῶν: *Cum multi sint, qvi se putant scire, qvæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant, servetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita & usq; ad præsens in Ecclesiis permanens, illa sola credenda*

denda est veritas, qvæ in nullo ab Ecclesiasticâ discordat traditione. Et tract: 29 in Matth: *Nos illis* (hæreticis) *non debemus credere, nec exire à primâ & Ecclesiasticâ traditione, nec aliter credere, nisi qvemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Cyprianus Epist. 74 ad Pompejum veritatem qvasi *per canalem ex fonte traditionis deduci* asseverat. Eusebius Cæsariensis contra Marcellum Episcopum Ancyranum: *Ecclesia à finibus terræ usq; ad fines ex divinis scripturis testimonia ex non scriptâ traditione confirmat.* Athanasius Episcopus Alexandrinus Epistolâ ad Serapionem de Spiritu sancto: *Videamus adhuc illam ipsam ab initio traditionem & doctrinam & fidem Catholicæ Ecclesiæ, qvam Christus qvidem dedit, Apostoli verò prædicaverunt, & Patres servaverunt. In hac enim Ecclesiâ fundamur & qvi inde exivit, neq; esse, neq; dici poterit Christianus.* Et lib. de decretis Synodi Nicænæ, postqvam adductis aliqvot Patrum testimoniis sententiam Concilij hujus de ὁμοουσίῳ confirmasset, subdit: *Ecce nos demonstramus ejusmodi sententiam à Patribus ad Patres qvasi per manus traditam esse. Vos autem novi Iudæi & discipuli Caiphæ, qvos verborum vestrorum patres ac majores demonstrabitis, cum ne unum qvidem ex prudentibus aut doctis in auctorem citare possitis? — Fides enim, qvæ scriptis decretisq; Synodi sancita est, ea est totius Ecclesiæ. Hanc cum asserere vellent beati Patres, istis verbis concipiendam putaverunt, condemnaruntq; Arianam hæresin.* Liberius Epistolâ ad Constantium Augustum: *Illam fidem servans, qvæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex qvibus plures Martyres extiterunt, illibatam custodiri semper exopto.* Basilius Magnus libr. de Spiritu sanct. cap. 9: *Iam verò etiam de Spiritu sancto communes nostras sententias, qvales sint, expendamus, tùm eas, qvæ ex Scripturis de ipso nobis collectæ*

sunt, tùm quas ex non scriptâ Patrum traditione quasi per manus suscepimus. Deniq; Epist: 60 ad Ecclesiam Antiochenam: *Fidem nos non recentiorem ab alijs conscriptam accepimus, neqve ipsi mentis nostræ fœtus alijs obtrudere audemus, ne humana putentur pietatis verba, sed qvæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogationibus annuntiamus.* Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5 Illuminatorũ: *Videte fratres, ut servetis traditiones, qvas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis.* Epiphanius hæresi 55, qvæ est Melchisedechianorum num. 4: *Termini præscripti nobis sunt, & fundamenta posita, & fidei structura, & Apostolorum traditiones & sacræ literæ & cœlestis doctrinæ propagatio, successio at deniq; divina veritas ex parte omni munita est & custodita.* Damasus Epist. ad Illyr. apud Nicephorum lib. 11 c. 31: *Cavendum sanè, ne per eos, qvi varias doctrinas comminiscuntur, in lubricum seducamur; ac potius, qvotiescunqvè illi variantibus consilijs circumferuntur, Patrum nostrorum à nobis sententia sunt retinendæ.* Hilarius, Diaconus Romanus, in c. 2 Epist: ad Romanos: *Illi, qvos dicit Apostolus, invicem cogitationibus suis accusari aut defendi in die judicij Dei, Christiani sunt ij, qvi discordant à Catholicâ veritate, diversa sentientes de Christo aut de sensu legis à traditione Ecclesiæ, sive Cataphrygæ, sive Novatiani, sive Donatiani aut cæteri hæretici.* Gratianus, Valentinianus & Theodosius Imperatores in Edicto ad populum urbis Constantinopolitanæ lege 2 C. Theodos. de fide Catholicâ: *Cunctos populos, qvos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, qvam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usq; nunc ab ipso insinuata declarat. — hanc legem seqventes Christianorum Catholicum nomen jubemus amplecti.* Hieronymus Epistola 152 ad Mimerium sibi hanc regulam præfigit: *Meum propositum est, antiqvos legere; probare singula; retinere, qvæ bona sunt, & à fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere.* Optati Milevitani verba huc facientia ex libro 1 contra Parmenianum, jam ante num. XXIV adduximus. Ait enim hæreticos *de sinu Ecclesiæ sanctæ impijs sensibus esse depravatos.* Au-

gustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53: *Id autem sit cura secura vocis asserere, qvod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Iesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Gaudentius Respons. ad Germinium de Villico iniqvitatis: *Venio nunc ad illud, qvod tantopere à me exegisti & qvid super eo sentiam, qvâ potero, brevitate narrabo: nulli præjudicaturus, qvaliter interpretari voluerit, modò, ut explanatio ejus Traditionem fidei Apostolicæ non infringat.* Johannes Cassianus libr. 6. de Incarnat: *Probatâ per universum mundum Symboli veritate, dicerem te, etiamsi expers intelligentiæ ac sensus esses, oportere tamen seqvi saltem consensum generis humani: nec pluris facere debere paucorum improborum perversitatem, qvàm Ecclesiarum omnium fidem; qvæ utiq; à Christo fundata, ab Apostolis tradita, non aliud existimanda esset, qvàm vox atqve autoritas DEI, qvæ haberet utiqve in se & vocem & sensum DEI.* Cyrillus Alexandrinus de rectâ in Deum fide ad Theodosium: *Apprimè indignum est, nos antiqvissimam fidei traditionem (ut qvæ ab ipsis sanctis Apostolis profecta ad nos usq; pervenit) propter curiosas qvasdam ac supervacaneas rationes & disceptationes deserere.* Johannes, Episcopus Antiochenus, Epistolâ ad Nestorium: *Nulli nos periculo exponimus, si ea sentimus & loqvimur, qvæ Doctores in Ecclesiâ Dei celeberrimos sensisse & docuisse certò novimus.* Clemens Constantinopolitanus Epist: ad Synodum Ephesinam: *Iam inde ab ineunte ætate in orthodoxia educati, orthodoxoq; dogmate probè spectati, toti in hoc sumus, ut sanctorum Patrum traditionem inconcussam servemus.* Sixtus Tertius citatus à Vincentio Lirinensi c. 43, Epistola ad Antiochenum Episcopum: *Ergò, qvia, sicut ait Apostolus, fides una est, qvæ evidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda credamus: Nihil ultra liceat novitati, qvia nihil addi convenit vetustati. Perspicua Majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Capreolus, Episcopus Africanus, Epistolâ ad Synodum Ephesinam, qvæ extat in Actis Concilij Ephesini: *Ad posteritatis exemplum, ubi ea qvoq;, qvæ jam olim pro Catholicâ fide definita & constituta sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa immotaq; conservare, qvæ superioribus temporibus à sanctis Patribus constituta sunt. Porrò qvi illam perpetuam stabilitatem retinere voluerit, qvæ* de Ca-

de Catholicæ fidei ratione statuerit, is non propriâ autoritate, sed antiqvorum Patrum judicio sententiam suam corroborare debet: ita ut partim veterum, partim recentiorum sanctionibus & sententijs placita sua comprobans, unam eandemq́ Ecclesiæ veritatem inde, ab initio ad præsentem usqve temporis articulum, simplici puritate, invictâq́ constantiâ & autoritate decurrentem, se docere & tenere ostendat. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 2: *Qvod sive ego, sive qvis alius vellet exsurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqveosq́ vitare & in fide suâ sanus atq́ integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet, primò scilicet divinæ legis autoritate: tùm deindè Ecclesiæ Catholicæ traditione. Hîc forsitan reqvirat aliqvis, cum sit perfectus Scripturarum Canon, sibiq́ ad omnia satis superq́ sufficiat, qvid opus est, ut ei Ecclesiastica intelligentiæ jungatur autoritas? Qvia videlicet Scripturam sacram pro ipsâ sui altitudine non uno eodemq́ modo universi accipiunt, sed ejusdem eloqvia aliter atqve aliter alius atqve alius interpretatur, ut penè qvot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namq́ illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus, Pelagius, Cœlestius, aliter postremò Nestoris anfractus, ut Prophetica & Apostolica interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.* Legatur idem & c. 14, 19, 25, & 37. Deniq; c. 39: *Qvæ tamen,* inqvit, *antiqva Patrum consensio non in omnibus divinæ legis qvæstiunculis sed solùm certè præcipuè, in fidei regulâ magna nobis sit.* Petrus Chrysologus serm: 85: *Christianus animus, qvæ sunt traditione Patrum, & ipsis roborata temporibus, nescit in disputationem deducere, sed venerari ea toto desiderat devotionis obseqvio.* Leo Magnus Epist: 8 ad Flavianum: *In corde nostro ea observantia, Deo inspirante, permaneat, ne constitutiones venerabilium Patrum, divinitus roboratæ & ad soliditatem fidei pertinentes, pravâ cujuspiam interpretatione violentur.* Flavianus, Episcopus Constantinopolitanus, Epist: ad Leonem Papam: *Omnia facienda à nobis sunt & laborandum pro fide & expositionibus dogmatibusq́ sanctorum Patrum, qvatenus per omnia & inter omnes concussiones rerum integra hæc & inviolata serventur & custodiantur.* Salonius in Proverbia Salomonis: *Terminos antiqvos dicit terminos veritatis & fidei, qvos statuerunt ab initio Catholici Doctores. Hoc*

ergò præcipit, ut eloqvia sanctarum Scripturarum nemo aliter interpretetur, nisi juxta uniuscujusq; scribentis intentionem. Gelasius Epistolâ 13 ad Episcopos Dardaniæ: *Percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis & considerare prudenter, qvoniam Patres nostri Catholici doctiq; Pontifices in unaqvâq; hæresi, qvolibet tempore suscitatâ, qvicqvid pro fide, pro veritate, pro communione Catholicâ atqve Apostolicâ, secundum Scripturarum tramitem prædicationemq; majorum, factâ semel congregatione, sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps firmumq; stare.* Petrus Diaconus libr. de Incarnat: & gratiâ Domini nostri Jesu Christi c. 1: *Si, Deo præstante, Catholicæ fidei conveniens & Apostolicis traditionibus nostra apud vos fuerit expositio comprobata, facilè tantorum virorum, probatissimorumq; Sacerdotum auctoritate muniti, iniqva loqventium ora obstruere valebimus & in fide sanctorum Patrum perseverantes, Deo, qvi nos in sanctimoniæ suæ confessione glorificavit, gratias referamus.* Et cap. 2: *Igitur juxta sanctorum Patrum traditionem Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis unitis & inconfusis, sc. divinitatis & humanitatis in unâ personâ confitemur.* Johannes Maxentius in professione fidei Catholicæ de Christo: *Duas naturas Dei Verbi Domini nostri secundum traditionem sanctorum Patrum credimus & confitemur.* Hormisda Epist. 9 ad Joannem Nicopolitanum Episcopum: *Prima salus est, regulam rectæ fidei custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deviare.* Et Epistolâ 70 ad Possessorem: *Fixa sunt à Patribus, qvæ fideles sectari debeant, instituta, sive interpretatio seu prædicatio, seu verbum pro populi ædificatione compositum, si cum fide rectâ & doctrinâ sanâ concordat, admittitur; si discordat, abolétur. Unum est fundamentum, extra qvod qvælibet fabrica si consurgit, infirma est: super illud qvisqvis superædificat, seu vilia, seu pretiosa consideret. Errat autem is, qvi à via, qvam Patrum electio monstravit, exorbitat.* Justinianus lege 5. C. de summâ Trinitate: *Cum recta atq; irreprehensibilis fides, qvam prædicat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, nullo modo innovationem recipiat: nos seqventes sanctorum Apostolorum, & eorum, qvi post eos, in sanctis Dei Ecclesiis conversati sunt, dogmata, justum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qvaliter de fide, qvæ in nobis est, sentiamus: insistentes & adhærentes traditioni & confessioni sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ.* Et l. 6:

Neces-

Necessarium esse putavimus, tàm hæreticorum vaniloqva mendacia dissipare; qvàm omnibus insinuare, qvomodo aut sentiat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, aut prædicent sanctissimi ejus Sacerdotes, qvos & nos seqvuti manifestè constituimus ea, qvæ fidei nostræ sunt, non qvidem innovantes fidem; (qvod absit) sed coarguentes eorum insaniam, qvi eadem cum impijs hæreticis sentiunt. Aurelius Cassiodorus libro 1 Institut: divinarum in præfatione: *Qvapropter indubitanter ascendamus ad divinam Scripturam per expositiones probabiles Patrum, velut per qvandam scalam visionis Iacob: ut eorum sensibus provecti ad contemplationem Domini efficaciter pervenire mereamur.* Anastasius Antiochenus libro 1 de rectis dogmatibus verissimæ fidei nostræ: *Veram autem descriptionem fidei hanc pronuntio, non qvia à me perscripta est, sed qvod doctrina hæc à viris profecta sit Theologicâ sapientiâ præditis, ejusq; exacta traditio ad nos usq; pervenit, qvasi sors qvædam hæreditatis paternæ, legitimo jure qvasi per manus accepta, ut qvæ à Parentibus, spirituali doctrinâ locupletatis, ad ingenuos liberos pervenerit.* Gregorius Magnus lib. 35 Moral. cap. 6: *Sola Ecclesia est, in qvâ suprema mysteria veraciter contemplamur. Unde & ad Mosen Deus dicit: Est locus apud me, & stabis supra petram.* Et paulò post: *Tollam manum meam & videbis posteriora mea. Qvia enim ex solâ Catholicâ Ecclesiâ veritas conspicitur, apud se locum esse perhibet Dominus.* Synodus Lateranensis 1, Secretario seu Consultatione qvinta: *Sic credimus, sicut Patres crediderunt: ita prædicamus, qvomodo docuerunt.* Synodus VI Oecumenica, Actione 12: *Omninò necesse est, non solùm secundum sensum seqvi sanctorum Patrum dogmata, sed & ijsdem vocibus uti cum illis, nihilq; penitus innovari.* Agatho Epistolâ ad Constant: Imperator: Heraclium & Tiberium: *Hæc est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicæ atqve Apostolicæ fidei, qvos usq; hactenus Apostolica & Evangelica traditio, sanctorumq; Patrum magisterium, qvæ sancta Apostolica atq; Catholica Ecclesia, & venerabiles Synodi suscipiunt, instituisse monstrantur. Ex qvorum doctrinis hæc recolligentes eâ brevitate perstrinximus. Hoc enim credimus, qvod per traditionem Apostolicam accepimus, cujus auctoritatem in omnibus seqvimur: à qvâ & institutos hoc ipsum nostræ humilitatis prædecessores cognovimus, qvam & usq; ad finem servari nobis sivè per vitam,*

sive per mortem optamus. Leo II. Epistolâ ad Constantinum Augustum: *Hanc rectæ & Apostolicæ traditionis normam prædecessor meus Agatho, Apostolicæ memoriæ Papa, cum suâ Synodo prædicavit: hanc scriptis percurrentibus in suæ suggestionis paginâ vestræ pietati per suos legatos emisit, approbans & confirmans testimoniis sanctorum ac probabilium Ecclesiæ Doctorum, qvam sancta nunc & magna Synodus Domini & vestro favore celebrata suscepit.* Synodus Trullana can: 19: *Oportet eos, qvi præsunt Ecclesiis, in omnibus qvidem diebus, sed præcipuè Dominicis omnem clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloqvia, ex divinâ Scripturâ colligentes intelligentias & judicia veritatis, & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum traditionem: sed & si ad Scripturam pertinens controversia aliqva excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, qvàm qvomodo Ecclesiæ luminaria & Doctores suis Scriptis exposuerunt.* Ad finem nunqvam perveniremus, si plura, his gemina, testimonia etiam ex subseqventium seculorum Ecclesiasticis Doctoribus colligere vellemus.

XXVII. Et hinc porrò factum, ut Catholici Doctores, cum hæretici articulum aliqvem Symboli, in Catholico sensu accepti, negarent, eos non ex Scripturis solùm, sed & traditione Ecclesiæ refutarint. De Ignatio memorabile est, qvod refert Eusebius lib. 3 Histor: Eccl: c. 36: *Et cum per Asiam iter faceret Ignatius, licet attentissimâ curâ à satellitibus, qvi illum ductabant, observaretur, Ecclesias tamen cujusqve civitatis, ad qvam fortè proficisceretur, familiaribus colloqviis piisq; hortationibus confirmavit: ac primum, ut hæreses, qvæ jam tum primò nasci & emergere cœperant, maximè præcaverent, admonuit sedulò. Dehinc hortatus est, ut Apostolorum traditioni mordicus adhærescerent: qvam qvidem asseveranter testificatus, qvo tutius posteritati reservaretur, necessariò scriptis mandatam existimavit.* De Polycarpo memorat Irenæus lib. 3, cap. 3, qvod Romam venerit, multosq; hæreticos converterit, confirmans, *qvod hanc veritatem solam,*

qvam

qvam Ecclesia tunc prædicabat, ab Apostolis accepisset. Verba Irenæi sunt: *Qvi etiam,* Polycarpus, *Aniceti tempestate Romam profectus, multos ex ijs, qvos ante diximus, hæreticis, Valentinianis & Marcionitis aliisq́, ad Dei Ecclesiam convertit, unam videlicet & solam veritatem testatus se ab Apostolis accepisse, qvæ ab Ecclesiâ tradita est.* Reperiuntur Græca Irenæi verba apud Eusebium lib. 4 Histor: cap. 14. Ipse Irenæus hoc telo Florini hæresin confecit in libro de Monarchiâ. Sic enim inter alia scribit apud Eusebium lib. 5 Hist: c. 19: *Ista dogmata, Florine, sanæ doctrinæ & sententiæ non sunt. Ista dogmata sunt Ecclesiæ repugnantia, utpote, qvæ illos, qvi obseqvuntur, in maximam impietatem dejiciunt. — Ista dogmata Presbyteri, qvi ante nos fuerunt, qviq́ erant ipsorum Apostolorum discipuli, minimè tibi tradiderunt.* Clemens Alexandrinus lib. 7 Stromatum de hæreticis inter cætera sic scribit: *Sed nec ipsi, hæretici, introitus clavem habentes, sed falsam &, ut consvetudo dicit, aversam clavem, per qvam non, relaxato velo, ut nos, ingrediuntur per Domini traditionem, sed exciso ostio, & muro Ecclesiæ clam perfosso, veritatem transgredientes, efficiuntur principes ac duces mysteriorum animæ impiorum.* Seculo III. Tertullianus Praxeam, qvi, ut Noëtus posteà & Sabellius, distinctionem personarum in Deo negabat, non ex Scripturis solùm, sed & regulâ fidei, qvam ab Apostolis sine scripto Ecclesia acceperat, refellit. Sic enim inter alia c. 3 scribit adversus illum: *Simplices qviq́, ne dixerim imprudentes & idiotæ (qvæ major semper credentium pars est) qvoniam & ipsa regula fidei à pluribus Deis seculi ad unicum & verum Deum transfert, non intelligentes, unicum qvidem, sed cum suâ* οἰκονομίᾳ *esse credendum, expavescunt ad* οἰκονομίαν. Ad traditionem qvoqve provocabat Concilium Antiochenum, adversus Paulum Samosatenum Seculo

culo III anno 266 coactum: *Decrevimus*, inqvit apud Baronium ad annum prædictum n. V, *fidem scripto edere & exponere, qvam à principio accepimus, & habemus traditam & servatam in Catholicâ & sanctâ Ecclesiâ usqve in hodiernum diem à B. Apostolis.* Initio Sec. IV, Eusebius Cæsariensis lib. 5 Hist. Eccl. c. ult. errorem illum impium Artemonis & Theodori Coriarij, qvo hominem tantùm fuisse Christum affirmabant, hâc unâ ratione refutat, *qvod Scriptores omnes ab Apostolorum usq; temporibus Christum & hominem & Deum fuerint professi.* Ex qvo putat necessariò effici, illam sententiam *ab ipsis fuisse Apostolis profectam, & ab Ecclesiâ constanter esse retinendam.* Eodem Seculo Nicææ congregatum fuit Concilium 318 Patrum, in qvo definitum fuit adversus Arianos, Filium Dei esse Patri ὁμοούσιον, qvod qvidem Concilium illud initio confirmabat Scripturæ testimoniis, veluti illo ex Johann. 10, 30: Ego & Pater unum sumus. Sed cum Ariani obmurmurarent, vocem illam, ὁμοούσιος, nuspiam in Scripturis inveniri, *ad Ecclesiæ interpretationem* Synodus provocabat, ostendens, qvod hæc verba illa Servatoris & similia alia Scripturæ loca nunqvam aliter, qvàm de unitate essentiæ intellexisset. Qvo & recurrebat Athanasius unà cum alijs nonaginta per Ægyptum & Lybiam Episcopis in Epistolâ ad Afros, post Concilium Nicænum scriptâ. Sic enim ille: *Episcopi non has dictiones excogitarunt, sed eas à Patribus comprobatas acceperunt & scriptis suis inseruerunt. Fuerunt enim ante annos propè centum & triginta prisci Episcopi tùm magnæ Romæ, tùm urbis nostræ, insimulantes eos, qvi Filium creaturam dicerent & Patri consubstantialem negarent.* Addunt, ne Eusebium qvidem ipsum, Episcopum Cæsariensem, utut ab initio Arianis favisset, id negare fuisse ausum, sed his motum, ut & ipse tandem Concilio Nicæno subscriberet.

Videatur Athanas. & Orat: 1 contra Arianos itemq; Epistolâ ad Adelphium, nec non libro de Incarnat: contra Paulum Samosatenum & tandem in Epistolâ ad Serapionem, & Epistolâ ad Epictetum. Ex eodem fundamento damnata est non multò post Concil. Nicænum Ariana hæresis & in Concilio Sardicensi. Sic enim Patres, in eo Concilio congregati, apud Theodoretum libr. 2 Hist. c. 6: *Nos hanc percepimus & didicimus, & hanc habemus Catholicam traditionem & fidem & confessionem, unam esse hypostasin* (ὑπόστασιν ponunt pro ὀσίᾳ) *Patris & Filij & Spiritus sancti.* Gemina his sunt verba Concilij Romani, sub Damaso congregati, apud Theodoretum l. 2, c. 17: *Credimus sanctam fidem nostram in Apostolorum doctrinâ fundatam, hanc tenere, & hanc populo tradere, quæ à decretis Patrum nullâ ratione discrepat, quamq; tradiderunt Sacerdotes Dei, à quibus justum est cæteros erudiri. Sed relatione Gallicanorum & Venetorum fratrum quosdam hæresi studere cognovimus. Quod malum ne existat, non solùm præcavere debent Episcopi, sed etiam contra ea, quæ imperitiâ & simplicitate quorundam, pravis interpretationibus deceptorum, gesta sunt, obniti deinceps, providentes, ne in diversas doctrinas prolabantur, sed Patrum nostrorum sententiæ potius adhærescant, quotiescunq; diversæ opiniones ipsorum auribus ingerentur.* De Synodo Alexandrinâ, ab Athanasio coactâ, ita scribit Socrates lib. 3, cap. 5, (Græc. 7): *In eo Concilio Episcopi ex varijs civitatibus convenerunt, & de rebus multis, apprimè necessarijs, disseruerunt, in eo & Spiritus sancti divinitatem stabilientes in Trinitate consubstantiali eum comprehenderunt: & Filium, hominem factum, non solùm carnem, sed & animam assumpsisse declararunt, quemadmodum & olim jam viris Ecclesiasticis visum fuerat. Non enim novam aliquam religionem excogitarunt atque in Ecclesiam introduxerunt,*

runt, sed quæ ab initio traditio Ecclesiastica præscripserat, & sapientes Christiani certis rationibus conquisiverant, confirmare voluerunt. Ad hunc enim modum veteres omnes hâc de re disputarunt, scriptisq́ prodiderunt, se ita sensisse ad posteritatem. Id qvod mox Irenæi, Clementis Hieropolitani, Apollinarij, Serapionis aliorumq; testimoniis comprobat. Ad eandem anchoram confugiebant & illi Episcopi, qvi ex Ægypto, Thebaide & Lybiâ sub Joviniano Imperatore, summam Catholicæ fidei nosse desiderante, convenerant. Sic enim illi in Epistolâ Synodicâ apud eundem Theodoretum lib. 4 Histor. c.3 de fide, in Concilio Nicæno repetitâ & stabilitâ: *Vera sanè & pia in Dominum nostrum Iesum Christum fides perspicua omnibus facta est, quæ & in divinis Scripturis noscitur & legitur: In hâc enim sancti quoq́ martyrio consummati sunt, & nunc cum Domino reqviescunt. Mansissetq́ fides perpetuò illæsa, nisi hanc hæreticorum qvorundam improbitas violare tentasset.* Basilius Magnus homiliâ 27 contra Sabellianos, Arium & Anomæos: *Hortamur vos, ne qvovis modo, qvod vobis probetur, ex nobis audire qværatis, sed qvod Domino placeat, & consonum sit Scripturis, nec Patribus contrarium.* Et posteà: *At ne Spiritum sanctum à Patre & Filio separes, absterreat te Dominica traditio. Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, martyres confirmarunt: satis tibi sit, ut dicas, qvemadmodum edoctus es.* Videatur idem & in libro de Spiritu sancto cap. 9 & 30, nec non lib. 1 adversf. Eunomium, Epist: item 72 in fine & alibi passim. Sed & Gregorius Nyssenus adversus Eunomium traditionem urget, qvando lib. 1 adversus illum ita scribit: *Quæ ab antiqvis per traditionem ad hæc usq́ tempora in Ecclesiis leguntur, hanc vocem non continent, quæ dicat, oportere credere in unum & solum verum Deum, qvemadmodum isti autumant,*

sed

sed in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Pertinent
qvoq; huc ista ejusdem ex libr. 3 contra eundem: *Ac ne mihi*
aliqvis obstrepat, illud etiam, qvod à nobis pro confesso habe-
tur, rationibus ac argumentis confirmari, sciat is sufficere no-
bis ad nostri dogmatis probationem, qvod venientem ad nos à
majoribus traditionem habemus, velut hæreditatem qvandam,
per successionem ab Apostolis, continuatâ per seqventes san-
ctos serie transmissam. At illi, qvi ad novitatem istam fidei
dogmata convertunt, multis opus haberent rationum præsi-
dijs, si vellent non pulveris instar leves, & agitabiles; sed
graves & animo constantes homines ad suam sententiam addu-
cere. Qvamdiu verò rudis nec ratione ullâ perpolita aut ar-
gumento probata, prodibit eorum opinio: ecqvis ita fatuus, ac
pecudi similis erit, ut Evangelistarum & Apostolorum & ca-
terorum, qvi in Ecclesiis posteà floruerunt, imbecilliorum pu-
tet esse doctrinam, qvàm nugacem istam loqvacitatem omnis
funditus demonstrationis expertem. Præcipitante Seculo IV
coacta fuit, imperante Theodosio, Synodus Constantinopo-
litana, in qvâ confirmata fuit Nicæni Symboli fides his verbis:
Hanc fidem, 318 scilicet Patrum, *omnibus, qvi verum fidei*
verbum non pervertunt, probari convenit, ut qvæ antiqvis-
sima sit, & baptismati consentanea, docens nos credere in no-
men Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ita nimirum, ut
una credatur divinitas, & potentia, & substantia Patris, &
Filij & Spiritus sancti, aeqvalisq; dignitas, & imperium coæ-
ternum, in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfe-
ctis personis: ut neq; Sabellij pestis locum inveniat, qvâ hy-
postases confunduntur, tolluntur q; proprietates, neq; Evnomi-
anorum, Arianorumq; & eorum, qvi Spiritum sanctum oppu-
gnant, vires habeat blasphemia, qvæ substantiam seu natu-
ram, & divinitatem discindit atqve increata & consubstan-

 tiali

tiali & coæternæ Trinitati posteriorem qvandam aut creatam ac diversæ substantiæ naturam inducit. Habitum qvoqve sub idem tempus sub Damaso Episcopo Romano fuit Concilium Aqvileiense adversus Palladium & Secundianum, Episcopos Arianos. Hoc literas scripsit ad Episcopos provinciæ Viennensium & Narbonensium primæ & secundæ, in qvibus inter alia hæc occurrunt: *Agimus gratias sanctæ unanimitati vestræ, qvod in Dominis & fratribus nostris, Constantio & Proculo, omnium nobis vestram præsentiam contulistis, simul præscripta majorum seqventes, non mediocre addidistis pondus nostris sententiis, cum qvibus etiam vestræ sanctitatis convenit professio.* Scripsit idem Concilium etiam Epistolam ad Gratianum, Valentinianum & Theodosium, Imperatores, in qvâ *impium ac sacrilegum esse ait deviare à præceptis majorum.* Notabile qvoqve est, qvod de Sisinnio, Novatiano qvidem, sed de ὁμοȣσίῳ Catholicis per omnia consentiente, memorat Historia Ecclesiastica. Qvum enim Theodosius Imperator cum Nectario, Episcopo Constãtinopolitano, aliisq; de qvæstione controversâ, tandem decidendâ & concordiâ Ecclesiis restituendâ ageret, Sisinnius hic, qvem Agelius, Novatianorum Episcopus, cujus ille tunc lector, posteà successor erat, ut hominem apprimè doctum & eloqventem, secum adduxerat, consultus respondit, *Dialecticas disputationes prorsus fugiendas, utpotè qvibus non tollerentur, sed ad vehementiores contentiones accenderentur hæreses, testimonia potius ex traditione veterum esse adhibenda. Sciebat enim,* ut addit Historia, *omnes veteres in eo consentire, qvod initium essentiæ nullum Filio Dei attribuerent. Interrogandos ergò esse dogmati huic contradicentes, num probarent eos Doctores, qvi ante factam divisionem floruissent, & an eorum de propositâ qvæstione testimonia reciperent? qvod cum fieret, probare qvidem se eos & ut Præceptores ac Doctores uno ore venerari, uno ore responderunt, sed cum de eorum testimo-*

nio recipiendo solicitarentur, ita confusi turbatiq;, ac inter se ipsos divisi ac separati sunt, ut nihil certi ex iis cognosci potue- rit. Qvo Imperator animadverso, rectâ fide susceptâ & com- probatâ, reliqvas omnes fidei professiones improbavit. Refe- runt hæc Socrates libr. 5 Hist. c. 10, Sozomenus lib. 7 cap. 12, Historia Tripartita lib. 9 c. 19, & Nicephorus lib. 12 cap. 15. Initiò Seculi V, congregatum fuit Concilium Milevitanum adversus Pelagianos, peccati originis & gratiæ divinæ impu- gnatores. Hujus capitulum secundum ita habet: *Placuit, ut qvi- cunq; parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat aut dicit in remis- sionem qvidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, qvod regenerationis lavacro expietur, unde fit conseqvens, ut in eis for- ma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Qvoniam non aliter intelligendum est, qvod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in qvo omnes peccaverunt, nisi qvemadmodum Ecclesia Catholica ubiqve diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regu- lam fidei etiam parvuli, qvi nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis re- generatione mundetur, qvod generatione traxerunt.* Eodem telo ad conficiendam Pelagianorum hæresin usus qvoq; fuit Augustinus. Sic enim ille libro 21 adversus Julianum Pela- gianum capit. 1, homines istos alloqvitur: *Oportet, ut populi Christiani eloqvia sanctorum vestris profanis novitatibus anteponant, eisq; potius eligant adhærere, qvàm vobis.* Se- culo eodem habitum fuit sub Cyrillo Concilium Alexan- drinum, in cujus ad Nestorium Epistolâ hæc leguntur inter alia verba: *Sanctorum Patrum confessiones, qvas sancto in ipsis loqvente Spiritu ediderunt, sectantes, scopumq; ac sensum, qvem illi tenuerunt, studiosè ubiqve observantes, & regiâ qvasi viâ incedentes, ipsum unigenitum Dei Verbum ex Pa- tris substantiâ natum — salutis nostr.: causâ descendisse —*

hominemq; ex muliere in lucem editum dicimus. — Et qvamvis Verbum carni secundum hypostasin unitam fateamur, unum tamen Filium ac Dominum Iesum Christum adoramus. Hæc & plura talia adversus Nestorium Synodus isthæc. Qvam non multò post excepit III Concil. Oecumenicum, Ephesinum videlicet, de qvo ita Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. penult: *Vniversis Sacerdotibus, qvi illò ducenti ferè numero convenerant, hoc catholicissimum, felicissimum atqve optimum factu visum est, ut in medium sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, qvorum alios Martyres, alios Confessores, omnes verè Catholicos Sacerdotes fuisse & permansisse constaret: ut scilicet ritè atqve solenniter ex eorum consensu atqve decreto antiqvi dogmatis religio confirmaretur, & profanæ novitatis blasphemia condemnaretur.* Mox decem Patres enumerat, juxta qvorum ordinem ibidem concinentem sibi, concordemq; sententiam, & legis sacræ proloqvia exposita sunt, & divini dogmatis regula constabilita. Et subdit: *Ii sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato Decalogi numero magistri, consiliarij, testes, judicesq; producti: qvorum beata illa Synodus doctrinam tenens, consilium seqvens, credens testimonio, obediens judicio, absqve odio, præsumptione & gratiâ, de fidei regulis pronunciavit. Qvanqvam multò amplior Majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit: qvia neqve multitudine testium negotij tempora occupari oportebat, & decem illos non aliud ferè sensisse, qvàm cæteros omnes collegas suos nemo dubitabat.* Hæc & alia plura in eandem sententiam de Ephesinâ Synodo dicto loco Vincentius. In Chalcedonensi verò, contra Eutychen coactâ, qvi congregati erant Episcopi, ipsi de se: *Sanctos Patres secuti unum & eundem confitemur Filium, Dominum nostrum Iesum Christum,* & qvæ seqvuntur. Seculo VI in Galliis habita fuit contra Pe-

lagium & ejus reliqvias Synodus Arausicana II, cui Cæsarius Arelatensis præfuit. In hujus c. 25 hæc leguntur verba: *Secundũ scriptas sanctarũ Scripturarũ sententias & antiqvorũ Patrum definitiones hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus, & credere, qvod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus posteà aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deũ, qvod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* Eodem Seculo, sub Justiniano Imperatore, coactum fuit & Conciliũ Constantinopolitanũ II, qvod est V Oecumenicum, in cujus collatione tertiâ Patres ita loqvuntur: *Confitemur fidem tenere & prædicare ab initio donatam à magno Deo & Salvatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis & ab illis in universo mundo prædicatam: qvam & sancti Patres confessi sunt, & explanaverunt, & sanctis Ecclesiis tradiderunt, & maximè, qvi in sanctis qvatuor Synodis convenerunt, qvos per omnia in omnibus seqvimur.* Et capit. 4: *Si qvis dicit secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqvalitatem honoris, vel secundum autoritatem, aut relationem, aut effectum, aut virtutem, unitionem DEI Verbi ad hominem factum esse, aut secundum bonam voluntatem, — Sed non confitetur, sicut sancti Patres docuerunt, unitatem DEI Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuali secundum compositionem, id est, secundum subsistentiam factam, & propterea unam ejus subsistentiam, qvi est Dominus noster Iesus Christus, unus de sanctâ Trinitate, talis anathema sit.* Rursus capit. 8: *Si qvis ex duabus naturis, deitate & humanitate, confitens unitionem factam fuisse, vel unam naturam DEI Verbi incarnati dicens, & non sic has voces intelligit, sicut sancti Patres docuerunt, qvod ex divinâ naturâ & humana, unitione secundum subsistentiam factâ, unus Christus factus est, sed ex hujusmodi vocibus unam naturam, sive substantiam Deitatis & carnis Christi introducere conatur, anathema sit.* Et iterum cap. 9: *Si qvis ad peremptam carnis aut in confusionem Deitatis & humanitatis unam naturam, sive essentiam convenientium portentuosè dicit, sic adorat Christum, sed non unâ adoratione DEUM Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta qvod Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.* Ad traditionem qvoqve provocat Sexta Synodus, qvæ jussu & autoritate Constantini Pogonati Constantinopoli coiit. Sic enim inter alia Patres istius Concilii Actione 17: *Hoc sanctum nostrum universale*

versale Concilium impietatis errorem nunc usqve, qvi à qvibusdam temporibus factus est, abjiciens, sanctorum autem ac probabilium Patrum inoffenso recto tramite iter conseqvutum sanctasq; & universales qvinq; Synodos piè in omnibus ei consonuit. Idem observare est & in Conciliis aliis, ab Ecclesiâ Catholicâ approbatis. Intelligitur verò facilè vel jam ex his qvoq;, cur Valentiniano & Martiano, Imperatoribus, hæretici dicantur impugnatores Synodorum Oecumenicarum, à Catholicâ Ecclesiâ approbatarum, qvales isto ævo erant Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina & Chalcedonensis, nempe qvia in Synodis his sensus genuinus & Apostolicus Symboli clarè fuit detectus. Verba illorum hæc sunt l. Qvicunq; C. de hæreticis: *Qvicunq; in hac sacrâ urbe, vel Alexandriâ vel in omni Ægyptiacâ diœcesi, diœcesisq; aliis provinciis Eutychetis profanam perversitatem seqvuntur & ita non credunt, ut trecenti decem & octo sancti Patres tradiderunt, Catholicam fidem in Nicænâ civitate fundantes: centum qvoqve & qvinqvaginta alii venerabiles Episcopi, qvi in almâ urbe Constantinopolitanâ posteà convenerunt: & sicut Athanasius, & Theophilus, & Cyrillus, sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ Civitatis credebant, qvos etiam Ephesina Synodus (cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit, in qvâ Nestorii error expulsus est) in universis secuta est, qvos & nuper venerabilis Chalcedonensis Synodus est secuta, prioribus Conciliis Sacerdotum ex omni prorsus parte consentiens, nihilq; adimens sacrosancto Symbolo, neqve adjiciens, sed Eutychetis dogmata funesta condemnans, sciant se esse hæreticos.* Pariter & Justinianus Novellâ 115, capit. 3, §. 14, hæreticos vocat, *qvi non sunt Catholicæ fidei, nec in sacrosanctâ Ecclesiâ communicant, in qvâ omnes beatissimi Patriarchæ unam conspiratione & concordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas qvatuor Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam & Chalcedonensem amplecti seu recitare noscuntur.* Qvibus gemina etiam habentur lege 7, C. de Trinitate §. 4, qvæ illic legi possunt. Nos intereà ad secundum eorum, qvæ ad salutem contendenti necessaria sunt, caput progredimur, ut intelligamus, qvi etiam præter hactenus recensitos juxta Ecclesiæ usum hæretici dici mereantur.

XXVIII. Reqviritur ergò porrò ab unoqvoq; per fidem in fœdus gratiæ recepto, siqvidem ad annos discretionis jam pervenerit, ac tempus ei vivendi, post impetratam gratiam, supersit, & studium sanctimoniæ. Ita docet Servator Matth. 7, v. 21, inqviens: *Non qvisqvis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qvi facit, qvod vult Pater meus, qvi in cœlis est.* Jam autem id, qvod exigit à nobis Pater cœlestis, studium sanctitatis est. Hæc enim voluntas est Dei, videlicet *sanctimonia nostri*, teste Apostolo 1 Thess. 4, 3. Qvo pertinet, qvod idem Apostolus inculcat Rom. 2, 6, 7, 8: *Deus reddet unicuiq; secundum opera ipsius. Iis qvidem, qvi secundum patientem exspectationem boni operis qværunt gloriam & honorem & immortalitatem, vitam æternam. Litigiosis autem & veritati non obedientibus, obedientibus autem injustitiæ, excandescentia erit & ira.* Imprimis verò & notabilis locus est Hebr. 12, v. 14: *Sectamini pacem & sanctimoniam, sine qvâ nemo videbit Dominum.* Nam nec unaqvæq; fides valet in Christo, sed ea demum, *qvæ per charitatem operatur*, Galat. 5, 6. Charitas autem est πλήρωμα νόμου, *complementio legis*, Rom. 12, v. 10. Unde & Clemens Alexandrinus lib. 6 Stromatum: *Qvum audimus*, inqvit, *fides tua te salvavit, non credamus innui hoc ipso, qvod qvovis modo credentes salventur. Salus enim non seqvitur*, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπακολουθήσῃ, *nisi fidem excipiant opera.* Hinc ergò secundô locô hæretici usu Ecclesiastico dicuntur & illi, qvi errorem aliqvem proponunt, sanctitati, à Christiano reqvisitæ, è diametro adversum. Si enim qvis errorem ejusmodi in agendo seqvatur, salute, nisi facti eum ante obitum seriò pœniteat, excidat necesse est. Et sanè qvod de hæreticis sedulò cavendis agat Apostolus 1 Tim. 6, 3, extra controversiam est positum. Jam autem illic non solùm vitare unumqvemq; jubet eos, qvi

 non

non acqviescunt sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, id est, sermonibus, qvibus Christi Domini fides, animas nostras sanans, explicatur; sed & eos, qvi non accedunt *doctrinæ, qvæ secundum pietatem est*, hoc est, ad verum Dei cultum & sanctimoniæ studium animam promovet. Petrus qvoq; hæreticos qvosdam hoc nomine perstringit, qvod *inescent per carnis cupiditates lascivas eos, qui verè effugissent ab ijs, qvi in errore versantur*, hoc est, ab infidelitate & vita carnali Ethnicismi & Judaismi discessissent, *libertatem eis pollicendo, cum ipsi servi essent corruptelæ*, i.e. variorum criminum & fœdarũ libidinum. 2 Ep. 2.18,19. Hanc ob causam inter hæreticos scripti fuerunt SIMONIANI, qvi nescio qvam gratiam sectatoribus suis promittebant, per qvam servandi essent, *etiamsi nihil boni operarentur. Secundum ipsius namq; gratiam salvari homines & non secundum operas justas: nec esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti, qvemadmodum sancivissent, qvi mundum fecêre, Angeli, per hujusmodi præcepta in servitutem homines deducentes*, ut testatur Irenæus l. 1 c. 20. Theodoretus de antesignano horum Simone Mago ita scribit lib. 1 hæret. fabul. cap. 1: *Eos, qvi in ipsum crederent, jubebat illos* (Prophetas) *non attendere, sed nec legis minas pertimescere, sed tanqvam liberos facere, qvæ vellent. Non enim per bonas actiones*, διὰ πράξεων ἀγαθῶν, *sed per gratiam ipsos salutem consecuturos.* Ex eodem capite fuerunt adscripti hæreticis & BASILIDIANI. Jubebant enim & hi *usum operationum omnium universæq; libidinis habere indifferentem*, teste iterum Irenæo l. 1. c. 23, nec non Theodoreto lib. 1 hæret. fabul. c. 4. Ulterius & CARPOCRATIANI ac GNOSTICI. Nam & illi eò procedebant insaniæ, ut *omnia, etiam summè irreligiosa ac impia, potestatem se habere operandi dicerent, qvod solâ hominum opinione negotia & bona & mala constarent*, qvod & ipsũ

rursus memorat Irenæus lib. 1, c. 25, ex eo autem Epiphanius hæresi 31. Damascenus de Gnosticis lib. de hæresibus ita scribit: *Gnostici superiorum* (Basilidianorum aliorumq; talium) *hæreses approbarunt, tum eorum omnium turpitudinem usq; ad amentiam insanè sunt prosecuti.* De Carpocratianis autē: *Carpocratiani à Carpocrate qvodam Asiatico dicti sunt. Hic omnem libidinem atqve obscœnitatem scelerum ita explendam esse dicebat, ut si qvis per omnia scelera non volutaretur, nec omnium Dæmonum atq; Angelorum voluntati pareret, eum ad summum cœlum, ad principatus atq; potestates pervenire posse negaret.* Videatur de his etiam Philastrius libr. de hæresibus Sect. 3, num. 10. Porrò hæreticis accensiti fuére & NICOLAITÆ. Asserebant enim *licitum esse scortari*, teste denuò Irenæo lib. 1, c. 27, qvi & addit, ideò Servatorem Apocal. 2, 6 & 15, se infensum esse dicere operibus ipsorum. Nec abit ab eo Tertullianus, de Conditore sectæ hujus Nicolao ita scribens libr. de præscript. adversus hæreticos c. 46: *Alter hæreticus Nicolaus emersit: hic de septem Diaconis, qvi in Actis Apostolorum allecti sunt, fuit. Hic dicit, tenebras in concupiscentiâ luminis, & qvidem fœdâ & obscœnâ fuisse: ex hâc permixtione, pudor est dicere, qvæ fœtida & immunda. Sunt & cætera obscœna. Omnis enim refert qvosdam turpitudinis natos, & complexus & permixtiones execrabiles obscœnasq; conjunctas, & qvædam ex ipsis adhuc turpiora. Natos prætereà Dæmones & Deos & Spiritus septem & alia satis sacrilega pariter & fœda: qvæ referre erubescimus, & jam præt/erimus. Satis est nobis, qvod totam illam hæresin Nicolaitarum Apocalypsis Domini gravissima sententia autoritate damnavit, dicendo: Qvia hoc tenes, odisti doctrinam Nicolaitarum, qvam & ego odi.* Qvâ occasione autem in hanc hæresin pervenerit Nicolaus, refert post alios & Augustinus lib. de

hæresibus ad Qvodvultdeum his verbis: *Nicolaitæ à Nicolao nominati sunt, uno, ut perhibetur, ex illis septem, qvos Apostoli Diaconos ordinaverant. Iste cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causâ permisisse fertur, ut eâ, qvi vellent, uterentur. Qvod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qvâ placet usus indifferens fœminarum.* Præterea hæreticis qvoq; ex eodem capite annumerati fuerunt SYMMACHIANI, qvi, *non sperantes judicium, vitijs secularibus & carnalibus concupiscentijs prædicabant esse serviendum*, teste Philastrio lib. de hæresibus sect. 2. Porrò & BORBONIANI, qvi *vitijs implicati seculi & malis concupiscentijs servientes, non sperabant judicium futurum, sed potiùs carnalem seculi concupiscentiam laudabant*, ut idem refert Philastrius c. l. sect. 3. n. 26. Item ORIGENIANI, à qvodam Origene dicti: *Obscœnis enim ac nefandis facinoribus se & corpora sua inqvinabant ac contaminabant*, teste Damasceno l. de hæresibus. Ulterius & EUNOMIANI, asserentes, *nihil cuiqvam obesse qvorumlibet perpetrationem ac perseverantiam peccatorum, dummodò hujus, qvæ ab illo docebatur, fidei particeps esset*, sicuti narrat Augustinus libr. de hæresibus cap. 54. Deniqve & PRÆDESTINATIANI. Dicebant enim *impijs non obesse, qvod improbè vivant, si à Deo prædestinati essent ad vitam*, ut supra visum nobis ex Sigeberto Gemblacensi ad annum Christi CCCCXV. Qvâ ipsâ *assertione*, ut addit ibidem Sigebertus, *& bonos à bonis avocabant & malos ad mala provocabant.* Gennadius Massiliensis in Appendice ad Hieronymi Indiculum de Hæresibus Sigeberto consentit. Ait enim Prædestinatianos id *docere studuisse, qvod Deus personas hominum accipiat, & alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem; alios post bona rejiciat, & compellat in malum, qvò pereant in æternum.* Sed & Wernerus Rolevinkius in

Fasci-

Fasciculo temporum Ætate 6 ad annum Christi 424: *Prædestinatianorum*, inqvit, *hæresis dicit nil prodesse ad vitam, qvod sancti virtuosè agunt.* Qvasi scilicet non dixisset etiam Apostolus, pietatem *ad omnia utilem esse atq; promissionem habere* non *præsentis* solùm, sed & *futuræ vitæ*, 1 Tim. 4; 8.

XXIX. Ulterius & Sacramentorum usum nobis Servator sub dispendio salutis injunxit. Sic enim ille, de Baptismo agens: *Nisi qvis*, inqvit, *renatus fuerit ex aqvâ & Spiritu, non potest introire regnum cœlorum*, Joh. 3, 5. De Eucharistiæ autem Sacramento disserens: *Amen, Amen*, ait, *dico vobis, nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis sangvinem ejus, non habebitis vitam in vobis*, Joh. 6; 53. Hinc ergo & illi pro hæreticis jam inde ab initio fuere habiti, qvi errorem aliqvē foverunt evertentē ipsam substantiam Sacramentorum. Ea enim nisi maneat illæsa, fructus illorum tollatur necesse est, veluti si in formâ illorum aliqvid mutetur, aut etiam materiæ genuinæ alia substituatur, verbi causâ, si aqva à Baptismo, aut panis vel vinum ab Eucharistiâ amandetur. Aqvam enim præcisè nos Servator in Baptismo adhibere jussit. *Nisi qvis*, inqvit d. l., *genitus fuerit ex aqvâ, non potest introire in regnum cœlorum.* Ezechiel qvoq;, de Baptismo vaticinium edens, aqvæ disertè meminit his verbis: *Spargam super vos aqvas mundas, ut mundemini ab omnibus inqvinamentis vestris*, c. 36, 25. Sed & Paulus hinc Baptismum vocat *lavacrum aqvæ*, Ephes. 5, 26. Eucharistiam insuper non sub aliâ specie, qvàm panis & vini instituit. *Accepto* enim *pane, cum gratias egisset, præbebat eum discipulis*, dicens: *Accipite, edite, hoc est corpus meum.* Rursus, *poculo accepto*, qvod fructu vitis erat repletum, præbens illud iisdem, dicebat: *Bibite ex hoc omnes, hoc poculum est novum illud pactum per sangvinem meum, qvi pro vobis effunditur*, Luc. 22, 18, 19, 20. Inde in classem

hæreticorũ jam antiqvitus fuerunt relati SELEUCIANI & HERMIANI ab Autoribus Sectæ, Seleuco & Hermiâ, ita dicti. *Illi enim Baptismum in aquâ non accipiebant*, ut refert Augustinus lib. de hæres. ad Qvodvultdeum c. 19. Causam hanc prætexebant, qvod Johannes Baptista, suum & Christi baptisma inter se conferens, diversam, ut illi qvidem accipiebant, amborum materiam fecisset, sui qvidem aqvam, Christi autem ignem, Matth. 3, 11. Indicat id Philastrius libr. de hæresibus sect. 3. n. 8. ita scribens: *Seleucus & Hermias hæretici animas hominum de igne & Spiritu esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, qvod dixit Iohannes Baptista: Ipse vos baptizabit in Spiritu & igne*. PAULICIANI qvoq; ex eâdem causâ in hæreticis censentur ab Euthymio. Nam *& illi aqvæ usum in baptismo refugiebant solâq; pronunciatione verborum Sacramentum perficiebant, qvin ne verba qvidem illa, qvæ Ecclesia semper habuit in usu, usurpabant, sed eorum loco ista: Ego sum aqva viva, adhibebant*, ceu memorat ille parte 2 Panopliæ tit. 21. MARCITÆ qvoq; hinc hæreticis fuere adscripti, qvod formulam Baptismi secundum rem ipsam mutarent. Baptizabant enim εἰς ὄνομα ἀγνώστου πατρὸς τῶν ὅλων, εἰς ἀλήθειαν μητέρα πάντων, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς Ἰησοῦν, εἰς ἕνωσιν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ κοινωνίαν τῶν δυνάμεων, *in nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo, qvi in Iesum descendit, in unione & redemptione, & communione virtutum*, ut narrat Irenæus libr. 1. c. 18, atqve ex eo Epiphanius hæres. 34. Sed & EUNOMIANI ob similem causam hæresi fuére notati. Baptizabant enim *in nomen Dei increati, & nomen Filij creati, & in nomen Spiritus sanctificativi & à creato Filio creati*, ut denuò testatur Epiphanius hæresi 76, & ex eo Nicetas Choniates lib. 5. Thesauri Orthodoxi c. 37. Nec dubium est, qvin ante illos PAULIANI qvoq;,

à Pau-

à Paulo Samosateno originem trahentes, atq; Arianorum nonnulli in formulâ Baptismi aliqvid mutaverint. Inde enim factum, ut rebaptizari ab illis baptizatos Ecclesia sanciverit. Liqvet id ex Canone decimo nono Concilij Nicæni, qvi ita habet: *De Paulianistis, ad Ecclesiam Catholicam confugientibus, statutum est, ut illi omnino rebaptizentur.* Et Concilium Arelatense II, sub Siricio Papâ coactum, can. 16: *Photinianos*, inqvit, *sive Paulianistas, secundum Patrum statuta rebaptizari oportet. Non* enim *baptizabant illi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, teste Innocentio 1, Episcopo Romano, Epistolâ 22 ad Episcopos Macedoniæ cap. 5 Tom. 1. Concil. Citantur autem verba ejus & in Corpore Canonico causâ 1 qvæst. 1, c. Paulianistæ. De Arianis autem nonnullis memorat Athanasius Orat. 3 adversf. illos conscriptâ, qvod baptizarint εἰς κτίσιν, καὶ κτίσμα, εἰς ποίημα καὶ ποιητήν. Qvod & Hieronymus confirmat in Dialogo adverf. Luciferianos. Ait enim *Arianos*, ad minimum qvosdam, *baptizasse in Patre solo vero Deo, & in Iesu Christo Salvatore creaturâ, & in Spiritu sancto, utriusq; servo.* Nicephorus qvoq; lib. 10 Hist. c. 35 refert, qvendam Arianum Episcopum, Deuterum nomine, baptizasse *in nomine Patris per Filium, in Spiritu sancto*, atq; addit, *accidisse non sine miraculo, ut aqva ad Baptismum parata in detestationem execrandæ hæreseos repente disparuerit.* Qvod & longè ante eum confirmet Theodorus Lector lib. 2. collectaneorum his verbis: *Deuterius, Arianorum Constantinopoli Episcopus, cum Barbarum qvendam, sic dictum, baptizaret, reprobatâ & corruptâ Dominicâ traditione, ausus est inter baptizandum dicere, Baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto: qvo dicto aqva in colymbetrâ evanuit.* Idem Barbæ, itidem Ariano, contigisse memorat Paulus Diaconus libro 17 rerum Romanarum his verbis:

Barbas quidam Arianus Episcopus, dum contra regulam fidei, minorem scilicet Patre Filium, & Spiritum sanctum asserere cupiens, baptizaturus dixisset: Baptizo te ego Barbas in nomine Patris majoris, & Filii minoris in Spiritu sancto: statim aqva, qvæ ad baptizandum allata fuerat, nusqvam comparuit. Non omnes tamen ex his mutasse formulam ex Concil. Arelatensi II. can. 17 constat, ubi Arianos, saltem qvosdam, *in Trinitate baptizasse traditur, atqve hinc sufficere, ut cum chrismate & manus impositione baptizati ab illis reciperentur.* Porrò hæreseos damnati fuere & TATIANI sive Encratitæ, aliàs & Hydroparastatæ & Aqvarii dicti, qvod vinum ab Eucharistiâ removerint atqve ejus loco solam aqvam in Sacramento hoc usurparint. Sic enim de illis Epiphanius hæresi 47: *Aqvam ad mysteria solam adhibent. Nam vino penitus abstinent, & Diabolicum appellant, qvod qvi bibant eove utatur, peccatores esse statuunt.* Philastrius qvoq; libr. de hæresibus sect. 3, n. 30: *Aqvarii*, inqvit, *sic dicti sunt, qvi in Sacramentis cœlestibus offerunt tantum aqvam, non illud, qvod Ecclesia Catholica & Apostolica facere consvevit.* Legi etiam de his possunt Augustinus libr. de hæres. c. 64, & Theodoretus lib. 1 hæret. fabul. c. 20. Sed & meminit ejusdem hæreseos Concilium Trullanum Canone 32, eamq; παλαιὰν *antiqvam* vocat. Deniq; & Nicetas Choniates eam describit atq; præterea eandem Marcionitis tribuit libr. 4. Thesauri Orthodoxæ fidei c. 14. Sed & SEVERIANI vinum ab Eucharistia amandarunt, eò qvod fabulosâ vanitate de Satanâ & terrâ germinasse vitem putarent. Testes sunt Epiphanius hæresi 45, n. 2, Augustinus libr. de hæresibus c. 24, Isidorus Hispalensis libr. 8. Orig. c. 5, & Damascenus lib. de hæresibus. Proscripti qvoqve ex Ecclesiâ, ut hæretici, fuére MANICHÆI, qvi *execrabilis cujusdam superstitionis qvâdam necessitate cogebant suos*

electos

electos Eucharistiam cum semine humano conspersum sumere, ut itidem refert Augustinus libr. de hæres. cap. 46. Nec non GNOSTICI, aliàs etiam Barboritæ vocati, qvasi cœnosi, propter nimiam turpitudinem, qvam in suis mysterijs exercebant. *Nam &*, qvod dictu horrendum, *fluxum à masculo in manus proprias acceptum, pro corpore atq; menstruum de fœminis collectum, pro sangvine Christi venditabant*, teste Epiphanio hæres. 26. n. 4. Porrò & CATAPHRYGES ac PEPUZIANI, qvi sangvinem infantis sacrificio miscuére. Ita enim memorat Philastrius lib. de hæresibus sect. 3. num. 2, & rursum Augustinus, qvi lib. de hæres. cap. 26 Cataphryges ita perstringit: *Sacramenta perhibentur funesta habere. Nam de infantis anniculi sangvine, qvin de toto ejus corpore, minutis punctionum vulneribus extorqventes, qvasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinâ, panemq; inde facientes.* De Pepuzianis autem seq. cap. 27 subdit: *Faciunt & ipsi de sangvine infantis, qvod Cataphryges facere suprà diximus. Nam & ab his perhibentur exorti.* Tandem annumerati fuére hæreticis & ARTOTYRITÆ, de qvibus ita Epiphanius hæresi 48: *Artotyritæ dicti sunt, qvod ad celebranda mysteria sua panem & caseum adhiberent.* Tradit de ipsis idem Philastrius libro de hæresibus sect. 3, c. 27, his verbis: *Artotyritæ sunt, nomine ex reipsa imposito, in Galatiâ, qvi panem & caseum offerunt, non illud, qvod Ecclesia Catholica & Apostolica celebrat offerendo.* Et August. lib. de hæres. ad Qvodvultdeum c. 28: *Artotyritæ sunt, qvibus oblatio eorum hoc nomen dedit. Offerunt enim panem & caseum, dicentes, à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuisse celebratas.* Repetit idem & Isidorus lib. 8. Orig. c. 5.

XXX. Qvamvis verò & studium bonorum operum & usus Sacramentorum ad salutem contendenti necessaria sint,

non tamen æqvè hæc sunt necessaria ac vera fides. Fieri enim potest, ut qvispiam statim post susceptam fidem ex hac vitâ migret, adeoq; tempus bene operandi non habeat: tali autem qvis salutem denegaret, dummodo propositum habeat benè vivendi? Unde & Petrus 1 Epist. 4, 1: *Vos qvoq;*, ait, *eâdem cogitatione armemini, qvod qvi passus est in carne, destitit à peccatis, ut non amplius cupiditatibus hominum sed voluntati Dei, qvod in carne reliqvum est temporis, vivat.* Pertinent huc & ista Origenis ex lib. 4 Comment. in Epist. ad Romanos: *Dicit* (Apostolus) *sufficere solius fidei justificationem: ita ut credens qvis tantummodo justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit impletum.* Qvibus consona sunt, qvæ habet Ambrosius in caput tertium Epistolæ ad Romanos: *Manifestè beati sunt, qvibus sine labore vel opere aliqvo remittuntur iniqvitates & peccata teguntur, nulla ab his reqvisita pænitentiæ opera, nisi tantum, ut credant.* Chrysostomus serm. de fide & lege naturæ uberius id declarat atqve exemplo latronis confirmat: *Ante opera*, inqvit, *fides primum inducenda est. Eum, qvi operatur opera justitiæ sine fide, non possum probare vivum fuisse: fidelem autem absq; operibus possum monstrare & vixisse, & regnum cœlorum assequutum. Nullus sine fide vitam habuit. Latro credidit duntaxat & justificatus est à benignissimo Deo. Atq; hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, qvo justè viveret & honesta faceret opera. Neqve enim de hoc contenderim ego: sed illud unum asseveraverim, qvod sola fides per se salvum fecerit.* Sed & Augustini verba hic adscribi merentur ex l. 83 Qvæstionum, qvæstione 76: *Apostolus Paulus dicit, posse hominem sine operibus præcedentibus justificari per fidem: nam justificatus per fidem non potest nisi justè deinceps operari, qvamvis anteà nihil operatus justè ad fidei justificationem pervenerit, non merito operum, sed gra-*

tia Dei, qvæ in illo jam vacua esse non potest, cum jam per dilectionem benè operatur. Qvod si cum crediderit, mox de hâc vitâ decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, qvi non merito ad illam, sed gratiâ pervenit, nec consequentibus, qvia in hac vitâ esse non sinitur. Hæc illi. Pariter & fieri potest, ut qvis, etiam adultorum, qvibus vivendi post susceptam fidem tempus aliqvod suppetit, aliqvo casu inevitabili ab usurpatione Sacramentorum excludatur, veluti si in tali loco agat, ubi negata illi eorum sit copia: aut eò, ubi conceditur, per valetudinem aut obstacula alia se conferre non possit; vel casu aliqvo, priusqvam illorum fieri qveat particeps, morte abripiatur. In ejusmodi enim casibus obtinet regula illa pervagatissima: *Non Sacramentorum privatio, sed contemptus damnat.* Sic Latro in cruce conversus, qvum baptizatus non esset, occubuit & tamen salute fuit potitus. Nempe *qvod ex Baptismi Sacramento in illo defuerat, id complevit omnipotentis benignitas, qvia non superbia vel contemptu sed necessitate defuerat,* ut loqvitur Augustinus libr. 4 de Baptismo contra Donatistas cap. 24. Et qvot olim ex Catechumenis in subitaneis persequutionum tempestatibus, anteqvam baptismo tingerentur, vitam martyrio finierunt? Et tamen de salute eorum nunqvam in Ecclesiâ fuit dubitatum. *Qvi martyrium,* ait Clemens Romanus, aut qvicunq; Autor est Constitutionum Apostolicarum, lib. 5, cap. 7: *consequi meruit, gaudeat in Domino, qvod tantam coronam adeptus est; & qvamvis fuerit Catechumenus, lætus discedat. Passio enim, qvam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem baptismum, qvoniam reipsâ commoritur Christo, alij in figurâ.* Qvibus gemina habent Tertullianus lib. de baptismo c. 16, Cyprianus Epist. 3, Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3, Ambrosius serm. 3 in Psalm. 110, Augustinus

lib. 13 de Civitate Dei c. 7, Prosper sent. 149, Fulgentius libr. de fide ad Petrum c. 3 aliiq;. Notum insuper est exemplum Valentiniani Imperatoris, qvi & ipse discesserat Catechumenus, sed numqvid ideò Ecclesia eum damnavit? Minimè verò. Longè aliter sanè de eo judicavit Ambrosius Orat. in obitum ejus ita scribens: *Qvem in Evangelio eram generaturus, amisi, sed ille non amisit gratiam, qvam poposcit.* Accedit, qvod error fidei oppositus in ac per se salute hominem excludat atq; damnationem inducat. Verbi causâ, qvi directè negat, unigenitum Dei Filium propter nos & nostram salutem hominem factum, hæreditate regni cœlestis dejicitur ob hunc ipsum errorem, nisi eum deponat. Nec excusare eum potest, qvod commoditate discendi privatus aut à parentibus vel Magistris suis ita edoctus, in errorem istiusmodi pervenerit. Fidem enim in Christum ab unoqvoq; reqvirit Deus, ut nemo eâ qveat carere absq; salutis jacturâ. Qvo fine & in toto terrarum orbe prædicari eam ab Apostolis fecit, ut omnem adimeret iis, qvi ignorantiam alioqvi prætexere potuissent, excusationem. *Vbiq;* enim, ait Hilarius, Diaconus Romanus, in c. 10 Epist. ad Romanos, *audita est & pervenit in omnem locum prædicatio nominis Christi. Et ubi præsentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama pervenit.* Et Hieronymus in caput 24 Matth: *Non puto*, inqvit, *aliqvam remansisse gentem, qvæ Christi nomen ignoret, & qvanqvam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus non potest qvæstionem fidei ignorare.* At aliter res comparata est cum errore circa studium sanctitatis & Sacramenta. Hic enim per se, ut error est, atq; in intellectu hæret, non damnat; sed per se damnationem infert praxis, errori hujusmodi consentanea, error autem exitialis est, qvatenus ejusmodi praxin inducit; qvemadmodum & ex opposito salute non potitur is,

qvi bene de iſtis Chriſtianiſmi noſtri capitibus ſentit, ſed qvi ſententiam, qvam de iis fovet, rectam in agendo ſeqvitur, juxta illud Servatoris: *Si hæc noveritis, beati eritis, ſi ea feceritis*, Joh. 13, 17. Inde hæretici qvidem ſunt, qvi errores fovent, ſanctitati vitæ & ſalutari Sacramentorum uſui inimicos, ſed ſecundæ & tertiæ menſuræ.

XXXI. Ulterius, cum extra Eccleſiam nulla ſit ſalus, nec *Deum habere poſſit Patrem, qvi Eccleſiam non habet matrem*, ut Cyprianus loqvitur libr. de unitate Eccleſiæ, neceſſarium eſt, ut unusqvisq;, qvi ad ſalutem adſpirat, morigerum ſe illi præbeat, etiam in iis, qvæ ipſa diſciplinæ & boni ordinis ergo inſtituit, qvod & Servator ipſe apertè reqvirit, dicens: *Qvi Eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus*, Matth. 18, v. 17. Hinc ergo etiam illi jam olim habiti fuere pro hæreticis, qvi Eccleſiæ ſe in ſanctionibus illius oppoſuerunt aut etiam decreta aliqva, Eccleſiæ adverſa, fecerunt, & ſic bonum in eâ ordinem diſturbatum iverunt. Hoc nomine in hæreticorum claſſem relati rurſum fuére CATAPHRYGES vel Montaniſtæ. Nam *& matrimonium ſolvi conſtituebant & nova jejunia præter Eccleſiæ conſvetudinem introducebant*, teſte Theodoreto libro 3. Hæreticarum fabularum cap. 2. Item TESSARESCÆDECATITÆ ſeu Qvartodecimani, qvi cum in cœteris Catholicæ Eccleſiæ maximam partem conſentirent, idem tamen cum eâ tempus Paſcha celebrandi obſervare nolebant. Cum enim ea peragendum illud proximâ, qvæ decimam qvartam menſis Niſan ſeqvitur, Solis die ſtatuiſſet, iſti huic decreto ſe conformare nolebant, qvin potius cum Judæis ipsâ decimâ qvartâ die, qvæcunqve illa in hebdomadâ eſſet, Feſtum illud agitabant, ut memorat Epiphanius hæreſi 49. n. 1. Philaſtrius eosdem notat lib. de hæreſibus ſect. 3, c. 11, his verbis: *Sunt & qvi de die Paſcha ſaluber-*

luberrima ambigunt, adserentes qvarta decima Luna celebrandum esse Pascha, non sicut Catholica Ecclesia celebrat, & mense Martio semper celebrandum adserunt: & cum hoc faciunt, diem non Dominicam semper custodiunt Paschæ non computantes horas & dies, sed secunda aut tertia aut qvarta aut qvinta aut sexta die celebrant, & ex hoc errore non cognoscunt diem Pascha Domini nostri veram & salubrem unam orbi terrarum statutam, & confirmatam à Domino cursu numerali Lunæ mensibus & embolismis, & cum hæc non computant, ignorant, qvid celebrant. Augustinus libro de hæresibus cap. 29 addit, eos, *siqvidem die Dominico Pascha incidisset, illum jejunijs & vigilijs implevisse. Tessarescadecatitæ*, inqvit, *hinc appellati sunt, qvod non nisi qvartâ decimâ Luna, mense Martio, Pascha celebrant, qvilibet septem dierum occurrat dies, &, si dies Dominicus occurrerit, ipso die jejunant & vigilant.* Damascenus qvoq; l. de hæresibus: *Thessarescædecatitæ uno die qvotannis Pascha agunt, in qvemcunq; decima qvarta Luna incurrerit, in qvo nec Sabbati nec Dominicæ diei rationem habent. In eo autem tum jejunia servant, tum vigilias & festum diem agunt.* Videri de iisdem potest & Constantius Harmenopolus, qvi Sec. XII à Christo nato floruit lib. de hæresibus c. 15. Eundem jejunandi morem & qvidem singulis Dominicis observarunt etiam Manichæi, Eustathiani item, & Priscillianistæ, sed & illi inter alias hanc ipsam ob caussam inter hæreticos ab Ecclesiâ scripti fuerunt. *Hæc enim Dominicas omnes festas hilaresq; esse debere sanxit ac solennes conventus matutinis horis indicit, nec ulla jejunia celebrat*, ut scribit Epiphanius in Expositione fidei n. 22. Qvibus similia leguntur etiam apud Tertullianum libr. de coronâ militis, Hilarium item præfat. in Psalmos, Hieronymum Epist. ad Lucinium & alios passim. Ast illi etiam hâc in parte Ecclesiæ contradi-

tradixerunt. De Manichæis id testatur Ambrosius Epist. 83, his verbis: *Dominicâ jejunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus. Hoc est enim in resurrectionem Christi non credere, si legem qvis jejunij die resurrectionis indicat.* Legi qvoq; de iisdem potest August: Epist. 86 ad Casulanum. De Eustathio autem Socrates libr. 2. Hist. c. 33: *Jejunia*, inqvit, *præscripta aversanda, Dominicisq; diebus jejunandum esse docuit.* Idem habet & Sozomenus lib. 2, c. 13, necnon Nicephorus l. 9, c. 16. Deniq; de Priscillianistis Leo Magnus Epist. 93 ad Turribium Austriensem Episcopum c. 4: *Dominicum diem*, ait, *qvem nobis Salvatoris nostri resurrectio consecravit, exigunt in mœrore jejunij Solis* (*ut proditum est*) *reverentiæ hanc continentiam devoventes, ut per omnia sint à nostræ fidei unitate discordes, & dies, qvi à nobis in lætitiâ habetur, ab illis in afflictione ducatur.* Porrò Ecclesiæ stata jejunia repudiarunt etiam Aeriani & Joviniastæ, atq; hinc & ipsi hæreticis fuerunt annumerati. Sic enim de Aërianis testatur Epiphanius hæres. 75 n. 3: *Sed neq; jejunij*, inqvit de Aërio Sectæ hujus auctore, verba faciens, *instituit ullam perhibendi esse rationem. Hæc enim omnia*, ait, *Iudæorum propria sunt, & cuidam servitutis jugo subjecta. Qvippe justo nulla lex est posita, sed parricidis ac matricidis duntaxat & id genus alijs. Nam si jejunare omninò decreverim, qvacunq; libuerit die, sponte & integrâ libertate jejunabo. Hinc est, qvod isti Dominicâ die jejunare potius affectent, qvartâ verò sextaq; feriâ vescantur. Qvantius sæpènumerò qvartâ feriâ jejunent, non ullâ lege, sed voluntate, ut asserunt, inducti. Porrò diebus ipsis Paschatis, hoc est, diebus Pascha proximè præcedentibus, qvod tempus humi cubando, castimoniam servando, affligendoq; corpore, nec non & aridorum ciborum usu, precibus, vigilijs, jejunijs ac reli-*

reliqvis idgenus saluberrimis corporis cruciatibus celebrare solemus, illi è contrario jam tum diluculo obsonare solent, & carnibus vinoq́; distenti cachinnari, ridere, eosq́;, qvi illam Paschatis hebdomadam sanctissimis illis religionibus traducunt, ludibrio habere. Etenim tametsi renunciare se rebus omnibus profiteantur, minimè tamen vitæ illud institutum observant; ac carnibus & vinolentis plus æqvo indulgent: nisi fortè pauci admodum inter illos sponte suâ priorem illam vitæ rationem retineant. Majori enim ex parte largioribus epulis, carnibus ac vino sese ingurgitant, ut non semel diximus. Idem de Aërianis qvoq; refert Augustinus lib. de hæresibus cap. 53 scribens: *Nec statuta solenniter celebranda esse dicunt jejunia, sed, cum qvisq́; voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub lege.* Damascenus qvoq; idem memoriæ prodidit lib. de hæresibus. *Aëriani*, inqvit, *ab Aërio Pontico dicti sunt. — Hic jejunium feriâ qvinta & sexta & qvadraginta diebus servari & Pascha celebrari prohibet Stata hac damnat omnia. Carnibus & cibis omnis generis usus est sine religione. Qvod si qvis jejunium servare velit, id ab eo certis statisq́; diebus servari negat oportere, sed qvando volet. Negant enim se lege teneri.* Porrò de Joviniano Hieronymus libr. 1 adversus illum cap. 2: *Tertium*, inqvit, *proponit inter abstinentiam ciborum & cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam esse distantiam.* Qvod prolixè repetit lib. 2 c. 4. Augustinus insuper de eodem libro sæpius citato c. 82: *Iovinianus dicebat non prodesse aliqvid jejunia, vel à cibis aliqvibus abstinentiam.* Et Isidorus Hispalensis lib. 8. Orig. c. 5: *Iovinianistæ, à Ioviniano qvodam Monacho dicti, asserentes, nullum esse inter abstinentes & simpliciter epulantes discrimen.* Seqvuti hos Seculo XIV. fuerunt Fratres Lollardi, de qvibus ita Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1315: *Lollardi jejunium irri-*

irrident, carnibus omni tempore, etiam sextâ feriâ Parasceves vescuntur. Sed & aliâ de causâ hæreseos damnati fuere tam Aëriani, qvàm Joviniani. Illi enim insuper contra Ecclesiæ morem Presbyteros æqvabant Episcopis. *Nullum,* dicebat Aërius, *inter utrumq;* (Episcopum & Presbyterum) *discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par & idem honor ac dignitas. Manus imponit Episcopus: imponit & Presbyter. Baptizat Episcopus: idem facit & Presbyter. His in vulgus jactatis plerosq; in errorem abduxit, qvorum sectæ princeps extitit*, ut iterum de eo scribit Epiphanius l. cit. Qvi & addit, preces eum pro mortuis, ab Ecclesiâ itidem probatas, rejecisse. Qvorum utrumq; de eo refert etiam Augustinus l. c: *Aërius,* inqvit, *in Arianorũ hæresin lapsus, propria qvoq; nonnulla addidit dogmata, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationẽ non oportere. — Dicebat etiam, Presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debet discerni.* Isidorus insuper l. cit: *Aëriani ab Aërio qvodam nuncupati, — offerre sacrificium pro defunctis spernunt.* Et Damascenus lib. de hæresibus: *Negat* (Aërius) *qvicqvã offerendum esse pro mortuis. — negat etiam qvicquã inter Presbyterum & Episcopum interesse.* Jovinianus autem ideò qvoq; hæreseos fuit postulatus, qvod contra Ecclesiã cœlibatum conjugio præferendum esse negaret, ut præter Hieronymum l. 1. contra illum c. 2, Augustinus etiam memorat l. cit. n. 82, ita scribens: *Virginitatem etiam sanctimonialium & continentiam sexus virilis in sanctis, eligentibus cœlibem vitam, conjugiorum castorum atqve fidelium meritis adæqvabat: ita ut qvædã virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Româ, ubi hæc docebat, eo audito nupsisse dicantur. — Citò tamen ista hæresis oppressa & extincta est, nec usq; ad deceptionem aliqvorum Sacerdotum potuit pervenire.* Et Isidorus l. c: *Iovinianistæ,* ait, *à Ioviniano qvodam Monacho dicti, asserunt*

nullam nuptiarum & virginum esse distantiam. Ulterius & Luciferiani hæreticis fuere adnumerati, qvod negarent in suis gradibus esse recipiendos Episcopos & Clericos illos, qvi Arianæ hæresi consenserant, & posteà eâ abjectâ fidem rursum Catholicam profitebantur, qvos tamen recipiebat Ecclesia. Testatur id de iis Hieronymus Dialogo adversus illos scripto. Isidorus qvoq; de iisdem loco citato: *Luciferiani à Lucifero Sirmiæ Episcopo, qvi contra Episcopos Catholicos, qvi Constantij persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, & postea correcti redire in Catholicam delegarunt damnantes, sivè qvod crediderant, sivè qvod credidisse se simulaverant: qvos Ecclesia Catholica materno recipit sinu, tanqvam Petrum post fletum negationis. Hanc illi matris charitatem superbè accipientes eosq́; recipere nolentes à communione recesserunt, & cum ipso Lucifero authore suo, qvi manè oriebatur, cadere meruerunt.*

XXXII. Accipiendum autem id, qvod de Ecclesiâ diximus, non de aliâ, qvàm de ipsâ Catholicâ Ecclesiâ. Hæc enim sola firmamentum & columna est veritatis, ut tutò audiri qveat & debeat audiri ab omnibus. Alia verò est ratio particularium Ecclesiarum. Nulla enim earum infallibilitatis privilegio gaudet, qvin monentur potiùs omnes, ut caveant sibi ab erroribus & prolapsu à tramite veritatis, ut non solùm patet de Ecclesiis in *Asiâ*, *Ephesinâ*, *Pergamensi*, *Thyatirensi*, *Sardensi*, *Laodicensi*, qvæ ab ipso Filio Dei monentur & errorum arguuntur Apoc. 2 & 3: sed & de ipsâ *Romanâ* ex Epist. ad Romanos c. 11, 20, 21, 22, ubi Apostolus asserit, Romanos *ejectum & excisum iri, ni permanerent in bonitate*, perindè ut Judæi rejecti fuissent, qvod defecissent. Et c. 16, 17, eosdem monet, *ut observarent, qvi dissensiones & offendicula præter doctrinam, qvam didicissent, excitarent*

atqve

atqve ab iis declinarent. Non minus enim Romana Ecclesia particularis est ac aliæ; qvemadmodum & Patres passim eam à Catholicâ Ecclesiâ, ceu partem à toto, distingvunt. Nec ullus eorum est, qvi extra erroris aleam eam crediderit esse collocatam. Unde & liberè ab eâ discesserunt, si qvando eam errare judicarent, aut etiam consvetudinem aliqvam tenere minus probandam. Liqvet id vel ex eâ, qvæ de Paschate celebrando Seculo II à Christo nato agitata fuit inter Romanam Ecclesiam aliasq;, controversia. Orientales enim Ecclesiæ illud decimâ qvartâ Luna cum Judæis celebrandum esse dicebant, Romana autem die Dominico illud agi volebat, utq; idem mos ab Orientalibus qvoq; Ecclesiis deinceps reciperetur, Polycarpo Smyrnensi Episcopo, Johannis Evangelistæ discipulo, persvadere conabatur Romanæ Ecclesiæ tum Præsul, Anicetus, sed irrito eventu. *Neqve enim*, ait Eusebius l. 5, c. 23, *Polycarpo persvadere poterat, ne servaret, quæ cum Iohanne, discipulo Domini nostri, ac reliqvis Apostolis, quibuscum fuerat conversatus, semper servaverat.* Idem postea præcipitante Seculo II & qvidem majori cum fervore urgebat Victor, ejusdem Ecclesiæ antistes, impetuosè jubens, ut Asiaticæ Ecclesiæ, antiqvo more relicto, eodem cum Romanâ Ecclesiâ die Pascha celebraret, sed resistebat ei Polycrates, Ephesiorum tunc Episcopus, ad ipsum & Romanam Ecclesiam directè ita scribens: *Nos illibatum agimus Paschatis diem, nec addentes illi qvicqvam, nec auferentes. Magna etenim luminaria in Asiâ obdormierunt, qvæ in die adventus Domini resurgent, qvando venturus cœlitus cum gloriâ, ac cunctos sanctos restituet, Philippus unus ex duodecim Apostolis. — Adhuc & Iohannes, qvi ad pectus Domini recubuit.— Deniqve & Polycarpus Smyrnensis Episcopus & alii*, qvos ibi recenset. *Hi omnes qvartâ decimâ Luna Pascha secundum*

Evangelium celebrant, nusqvam exorbitantes, sed fidei canonem seqventes; — Et ego itaqve, fratres, qvi sexaginta qvinqve annos habeo in Domino, & cum fratribus per orbem contuli, ac sanctam Scripturam volvi ac revolvi, non turbabor illis, qva terrendi gratiâ objiciuntur. Etenim majores mei DEO magis, qvàm hominibus obediendum esse dixerunt. Hæc ille apud Eusebium libr. 5 Hist. Eccles. c. 22. Irenæus qvoq;, Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, nomine fratrum per Galliam, qvibus præerat, se illi opponebat in Epistolâ itidem ad eum & Ecclesiam Romanam scriptâ, objiciens ei exempla præcedentia Episcoporum Romanorum Aniceti, Pij, Higyni, Telesphori, Xisti, qvi Pascha qvidem die Dominico celebrassent, sed ab aliis Ecclesiis, ut idem agerent, præfractè non exegissent: *Neqve ipsi*, inqvit, *sic observarunt* (ut Ecclesiæ Orientales) *neqve posteris suis præceperunt, & tamen nihilominus ipsi non servantes, pacem cum illis retinuerunt. Et qvum beatus Polycarpus Romæ sub Aniceto ageret ac propter alia minuta inter se discrepassent, mox conciliati sunt, de hoc verò capite nihil inter se contenderunt.* Hactenus & ille apud Eusebium lib. 5, c. 23, Socratem lib. 5, c. 21, & Sozomenum lib. 7, c. 19. Porrò cum Sec. III agitaretur controversia de rebaptizandis hæreticis inter Stephanum Episcopum Romanum & Africanos Episcopos, atqve iste eos, qvi sententiam suam non amplecterentur, ex Ecclesiâ ejicere tentaret, qvemadmodum Eusebius memorat libr. 7. cap. 4, resistebant ei vehementer Cyprianus Carthaginensis & Firmilianus, Cæsariæ in Cappadociâ tunc temporis Episcopus, eiq; inscitiæ, indiscretionis, pertinaciæ & schismatis notam inurebant, ut liqvet ex Epistolâ Cypriani ad Qvirinum, nec non Epistola ejus ad Pompejum, itemq; Epistola Firmiliani, qvæ apud Cyprianum est septuagesima qvinta. Qvorum aliorumq; à Stephano dissenti-

sentientium judicia se improbare non audere dicebat etiam Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7, c. 6. Seculo IV Ambrosius lib. 3 de Sacrament. cap. 1 differens de lotione pedum, de qvâ aliter statuebat, qvàm Romana Ecclesia: *In omnibus*, inqvit, *cupio seqvi Romanam Ecclesiam, sed tamen & nos homines sensum habemus, ideò qvod alibi rectius servatur, & nos rectè custodimus. Ipsum seqvimur Apostolum Petrum, ipsius inhæremus devotioni. Ad hoc Ecclesia Romana qvid respondet?* Posteà Hieronymi ætate movebatur controversia, num Presbyter ad testimonium Diaconi ordinari posset? Id negabat Hieronymus. Cumq; ei consvetudo Romanæ Ecclesiæ, qvæ ita ferret, objiceretur, respondebat ille: *Qvid mihi profers unius urbis consvetudinem? — Si autoritas qværitur, urbis major est orbe*, in Epistolâ ad Evagrium. Seculo V Urbicus Presbyter, consvetudine Romanæ Ecclesiæ fretus, necessitatem urgebat jejunii Sabbati, sed reprehendebat id Augustinus Epist. 86 ad Casulanum inter alia scribens: *Qvod utinam sic qværeret* (Urbicus) *aut sic affirmaret, ut toto terrarum orbe diffusam, exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus, apertissimè non blasphemaret Ecclesiam.* Et posteà: *Non tibi persvadent, urbem Christianam sic laudare Sabbato jejunantem, ut cogaris orbem Christianum damnare prandentem.* Seculo VI Hormisdas ipse, Episcopus Romanus, Epistolâ 25 ad Episcopos Hispaniæ rotundè fatetur, etiam Romanam Ecclesiam errare atq; à Deo deseri posse: *Dilectissimi fratres*, inqvit, *continuas preces ad Deum fundamus & jugi deprecatione poscamus, ut & institutione & opere illi, cujus esse membra cupimus, adhæreamus, nec unqvam ab illâ viâ, qva Christus est, devio tramite declinemus, ne ab eo juste, qvem impiè reliqverimus, deseramur.* Idem de Romanâ Ecclesiâ fuit judicium qvintæ Synodi Oecumenicæ, qvæ contra sententiam Vigilij Episcopi Romani

& Clericorum ipsi adhærentium decretum Synodicum condidit de tribus capitulis, qvibus cum subscribere nollet Vigilius, ab Imperatore Justiniano in exilium fuit relegatus. Qvâ de re videndus est Liberatus in Breviario cap. 23 & 24. Sed nec aliter de Ecclesiâ Romanâ sensere Ecclesiæ illæ occidentales, qvæ propter susceptum posteà ab illâ decretum istud Synodicum de tribus capitulis, communionem cum eâ, tanqvam errore non exiguo, ut ipsis qvidem videbatur, infecta servare renuerunt, videlicet Ecclesia Aqvilejensis cum Venetis & Istriis, item Ecclesia Mediolanensis cum aliis Insularum Ecclesiis aliæq; nonnullæ, ut constat ex Epistolis Pelagij I, Episcopi Romani, necnon ex Gregorio lib. 2, Epist. 36, & libr. 3. Epist. 33 & 37. Non secus qvoqve de ea judicasse veteres Scoticanas Ecclesias usqve ad annum septingentesimum decimum sextum à Christo nato, Bedæ historia Ecclesiastica gentis Anglicanæ libro 3. cap. 4 & 25 confirmat. Liqvet enim inde, qvod à consvetudine sua Pascha celebrandi, qvæ diversa erat à consvetudine reliqvarum Ecclesiarum, recedere noluerint, etiamsi ab Honorio Papa Romano & Janne, qvi Successori ejusdem Honorij, Severino, successerat, admoniti ea de re fuissent. Sed & Qvinisexta Synodus sub finem Seculi VII non aliter de eadem judicavit. Canone 13 enim apertè consvetudinem Romanæ Ecclesiæ de matrimonio Clericorum reprehendit & corrigi jubet. Verba ejus sunt: *Qvoniam Romanæ Ecclesiæ pro Canone traditum esse novimus, ut Diaconi, Presbyteri, qvi digni, qvi ordinentur, existimandi sunt, profiteantur, se non ampliùs suis uxoribus conjungendos, nos, antiqvum canonem Apostolicæ perfectionis ordinisq́; servantes, hominum, qvi sunt in sacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma & stabilia esse volumus, neqvaqvam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutuâ tempore convenienti consvetudine privantes.* Seculo IX,
qvum

qvum convenisset Concilium, IIX qvod dicitur Occumenicum, Constantinopolitanum IV, Legati Adriani II, laborarunt pro virili, ut Ecclesiam Romanam aliarum judicio subducerent, verum ne tunc qvidem per omnia id obtinere potuerunt. Sic enim canon vigesimus primus Concilij istius decrevit: *Si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sanctâ Romanorum Ecclesiâ qvævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentiâ de propositâ qvæstione sciscitari, & solutionem accipere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Sentoris Romæ Pontifices.* Eodem Seculo floruit Luitpertus, Episcopus Moguntinus, qvi in Epistolâ ad Ludovicum Regem hæc habet verba: *Tacendi vel deliberandi inducias non habeo, neq; enim silere me causa permittit, qvam si relinqvo, apud Dominum nostrum Iesum Christum, cujus interest, inexcusabilis ero, & vobis promissam humanitus fidem temerasse convincor, quia si in speculâ, qvâ constitutus sum, videns periculum vobis imminens, desidiosa vel infideli taciturnitate dissimulem: & Ecclesiæ Dei, cujus indignus curam pastoralem, ac solicitudinem suscepi, negligens effectus non indicem, mercenarius potius esse videbor, qvàm Pastor. Qvatitur namq; graviter & dehonestatur primatus, & dignitas ejus in sede sancti Petri, eò qvod inauditâ qvâdã & occultâ persecutione non ab infidelibus, & Dominum nescientibus, sed ab eis (qvod dolendum & plangendum est) qvi Duces & Rectores populi Dei esse debuerunt, injurijs appetitur, humana divinis præferre conantibus: & necesse est, dolorem, qvi constat in capite, nisi salubris & velox medicina succurrat, paulatim per membra diffundi. — Qvapropter necessarium mihi videtur & utile, ut religiosus princeps Carolus, frater vester, legatis atq; literis à vobis destinatis, super hoc negotio maturè conveniatur, ut tàm ipse, qvàm Sacerdotes regni ejus, qvi hactenus ab hujusmodi sordibus mundi sunt, vobis & vestris Episcopis adjungantur, eandemq; curam & solicitudinem vobiscum participent, qvatenus, posteaqvam cum auxilio Dei, prosperè & pacificè de itinere, qvò ire disponitis, reversi fueritis, pari consensu & communi studio, pacem & concordiam, sanctæ Catholicæ & Aqostolicæ Ecclesiæ orthodoxis dogmatibus, adjuvante Domino reformetis.* Episcopi Belgici ad Nicolaum Papam apud Aventinũ lib 4 Annalium: *Tu eos, qvi Senatus consultis non parent, impietatis condemnas, ijsdem sacrificijs interdicis. Nos tuo te ense jugulamus, qvi edictum*

Domini

Domini Deiq; nostri conspuis, concordiam collegij discindis, pacem, immortalē cœlestis Principis tesseram, violas. Spiritus sanctus author est omnium Ecclesiarum, qvæ longissimè & latissimè terrarum orbis porrigitur. Civitas Dei nostri, cujus municipes sumus, ad universos cœli cardines pertinet, majorq; est urbe, qvæ Babylonia à sacris vatibus appellatur, ut qvæ divinitatem usurpet, cœlo se æqvet. Carolus Rex Galliæ, Caroli Magni ex Ludovico filio nepos, in literis ad Hadrianum Pontificem Romanum: *Nolite ex vestro nomine, vel Apostolicæ sedis autoritate, visiones vel excommunicationum intentationes contra sacrarum Scripturarum tramitem prædicationemq; majorum ac sacrarū legū, sanctorumq; canonum constitutiones, nobis de cætero scribi cujuscunq; instinctu permittere. Qvia scitis, & scimus, totum esse irritum, qvicqvid ab eorū fuerit constitutione diversum.* Et postea: *Qvod ex Apostolicæ sedis nomine secundum sanctarum Scripturarum tramitem prædicationemq; majorum & orthodoxorum decreta scribitur, seqvendum & tenendum non ignoramus, & qvod secus à qvoqvam fuerit compilatum sive confictum, non solùm respuendum, sed & redarguendū esse cognoscimus.* Seculo XI Synodus Rhemensis, cui præfuit Sigrinus Archiepiscopus: *Pontifex Romanus – si charitate destituitur, solâ scientiâ inflatur & extollitur, Antichristus est, in templo Dei sedens, & se ostendens, tanqvā sit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in templo Dei tanqvā statua, tanqvā idolum est, à qvo responsa petere, marmora consulere est. – Expectemus ergò primates nostros, qvoad possumus: atq; interim, divini verbi pabula ubinā reperiri valeant, investigemus. Certè in Belgicâ & Germaniâ, qvæ vicinæ nobis sunt, summos Sacerdotes Dei, in religione admodū præstantes, inveniri, in hoc sacro conventu testes qvidā sunt. Proinde si regnū dissidentiū animositas non prohiberet, inde magis Episcoporū judiciū petendum fore videtur, qvàm ab eâ urbe, qvæ his tēporibus venalis exposita ad nummorum qvantitatē judicia trutinat. Qvod si qvispiā dixerit, secundū Gelasiū, Romanā Ecclesiam de totâ Ecclesiâ judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unqvā judicio judicari posse, hoc ipsum Africani Episcopi impossibile judicant, nisi fortè (inqviūt) qvisqvā est, qvi credat, unicuilibet posse Dominum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Deniq; & notabilia sunt verba Concilij Basiliensis Sec. XV celebrati, ex Epist. 3 Synodicâ: *Dicimus Romam sedem principalē inter alias sedes. Sed numqvid, dum partē laudatis, obliti estis totius? Numqvid dum unam Ecclesiam extollitis, eam, qvæ universalis est, prætermittitis?*

XXXIII. Ex

Papistæ [illegible]

XXXIII. Ex qvibus omnibus facile est intelligere, qvàm benè hæretici à nonnullis dicantur ij omnes, qvi non in omnibus Ecclesiæ consentiunt Romanæ. Qvâ de re extat ejusmodi decretum Gregorij IX in Decretalibus cap. Ad abolendam, de hæreticis: *Universos qvi de Sacramento corporis & sangvinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliqvis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, qvàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat: & generaliter qvoscunq; eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diœceses suas cum consilio Clericorum, vel Clerici ipsi sede vacante, cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum hæreticos judicaverint, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Idem senserat antè & Gregorius VII Episcopus Romanus, lib. 7 Epist. 24. Ait enim & ipse disertè, *hæreticum esse, qvi Romanæ Ecclesiæ non concordat.* Scilicet sunt illi, qvi ita statuunt, in eâ opinione, qvasi Catholica & Romana Ecclesia sint ἰσοδυναμοῦντα, seu idem valeant. Qvod malæ causæ est indicium. Periisset enim jam de toto orbe Ecclesia & in solâ parte Romanâ remansisset. Qvod absit, ut asseramus! Qvota enim illa mundi pars est, si cum reliqvo orbe Christiano conferatur? Nimium pauper Christus factus esset, si trophæa crucis in eam solùm terræ partem nunc translata esset, qvæ Romano Pontifici est devota. Meritò illos, qvi ita sentiunt, alloqvimur verbis Optati Milevitani ex libro 2 contra Parmenianum: *Si apud vos solos est Ecclesia, ubi ergò erit proprietas Catholici nominis, qvod sit rationabilis & ubiq; diffusa? Nam si sic pro voluntate vestrâ in angustum coarctatis Ecclesiam, si universas subducitis gentes, ubi erit illud, qvod Filius Dei meruit? ubi erit, qvod libenter ei largitus est Pater, in secundo Psalmo dicens: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ? ut qvid tale infringitis promissum, ut à vobis mittatur qvasi in qvendam carcerem latitudo regnorum? Qvid tantæ pietati obstare contenditis? Qvid contra Servatoris merita militatis? Permittite, Filium possidere concessa. Permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites? cum à Deo Patre Salvatori tota terra promissa sit, non est*

qvicqvam in aliqvâ parte terrarum, qvod à possessione ejus videatur exceptum. Tota est donata terra cum gentibus totius orbis, Christo una possessio est. — Ecclesiam Paradisum dicitis, qva res sine dubio vera est: — & tamen Deo divitias suas denegatis, cujus hortum in angustias cogitis, dum vobis solis immeritò omnia vindicatis. Erat enim hoc olim tàm hæreticis, qvàm schismaticis admodum familiare, ut se solos Catholicos & Christianos vocare non erubescerent. Id ergò usu veniebat & Donatistis, qvos eo ipso loco perstringit Optatus. Imprudenter namq; illi dicebant: *Nos soli Christiani sumus*, sicut & Augustinus memorat lib. 1 contra Epist. Parmeniani c. 2. Libellum qvoq; suum, Constantino offerendum, inscribebant *libellum Catholicæ Ecclesiæ*, teste eodem Epist. 48 ad Vincentium. Sed & ipsi Ariani *se solos* jactitabant *Catholicos*, cæteros omnes *modò Ambrosianos, modò Athanasianos, modò Ioannitas* appellabant, qvemadmodum eadem Epistola rursum testatur Augustinus. Non negamus qvidem, qvod Patres magni semper fecerint communionem cum Romana Ecclesia, utpote qvæ fundatores & excultores habuit Apostolorum Principes, atqve Ecclesia est urbis illius, qvæ totius penè terrarum orbis victrix fuit ac Domina, qva occasione & Metropolitana ac Patriarchalis facta, qvin & inter Patriarchales omnium prima declarata. Doctrinam insuper Apostolicam, puram & illibatam per aliqvot Secula conservavit, atq; diu *tutissimus* fuit *portus* atqve *confugium*, ut Hieronymus loqvitur Epist. 16, Catholicæ communionis ijs, qvi hæreticorum persecutiones declinarent; Deniqve præ alijs mater extitit multarum aliarum Ecclesiarum. Unde Irenæus lib. 3, c. 3: *Qvoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare & succesiones: maxima & antiqvissima & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis, Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesiæ, eam, qvam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem, per succesiones Episcoporum pervenientem usqve ad nos, indicantes confundimus eos omnes, qvi qvoqvo*

modo,

modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterqvam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam: hoc est, eos, qvi sunt undiq; fideles, in qvâ semper ab his, qvi sunt undiq;, conservata est ea, qvæ est ab Apostolis traditio. Tertullianus lib. de præscript. advers. hæreticos cap. 36: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis qvoqve autoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sangvine profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæqvatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur: ubi Apostolus Ioannes (posteaqvam in oleum igneum demersus, nihil passus est) in insulam relegatur.* Cyprianus Epist. 55 ad Cornelium Papam: *Post ista adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audeat, & ad Petri cathedram, atqve ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (qvorum fides, Apostolo prædicante, laudata est) ad qvos perfidia non possit habere accessum.* Qvibus gemina etiam apud alios occurrunt. Verùm loqvuntur illi de Ecclesia Romana, qvalia erat ipsorum ætate: ac de communione insuper in iis, qvæ ad substantiam religionis Christianæ pertinent. Hæc enim diu sarta tectaqve Ecclesia Romana, etiam absqve additamento novarum opinionum, fundamento supervenientium, servavit. Qvo respiciens & Lucius Episcopus Romanus Sec. III. in Epist. ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ: *A rectâ fide & Apostolico tramite propter ullam persecutionem nolite recedere, scientes, qvoniam juxta Servatoris sententiam beati sunt, qvi perseqvuntur propter justitiam. Hæc est Apostolorum viva traditio: hæc vera charitas, qvæ prædicanda est, & præcipuè diligenda ac fovenda, atqve fiducialiter ab omnibus tenenda: hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, qvæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunqvam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoritatibus suis Apostolorum Christi principibus illibata finetenùs manet.* Qvibus respondent & ista Sixti II, qvi eodem Seculo claruit ex Epist. 1 ad Gratum Episcopum: *Memor sum me sub il-*

lius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino Iesu Christo est confessio glorificata: & cujus fides nullam hæresin unqvam fovit, sed omnes qvidem hæreses destruit. Itemq; illa Eusebij Papæ, qvi seculo IV floruit, ex Epistol. 5 ad Episcopos Thusciæ: *In sede Apostolicâ extra maculam semper est Catholica servata religio.* Sed & Ambrosius cæteriq; Episcopi Mediolani in Synodo congregati in Epistola sua ad Syricium Papam, qvæ inter Epistolas Ambrosij septima est: *Credatur*, inqviunt, *Symbolo Apostolorum, qvod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat.* Verum absolutam infallibilitatem neqve hi, neqve alij Ecclesiæ Romanæ tribuerũt, ut hæreticus è vestigiô dicendus sit, qvi non omnia istius Ecclesiæ placita approbat, sed in nonnullis ab illa recedit, si ea Scripturæ sacræ aut etiam antiqvæ traditioni adversa esse intelligat. Id enim liberè & olim factum, ceu jam constitit ex num. XXX; & non sine causâ factum fuisse docuit experientia postea satis superq;. Varij enim illic, iiq; sat grãdes, posteaqvam Ecclesiasticum regimen cum Politico ibi conjungi cœpit, pedetentim irrepsére abusus, ut etiam inter suos non paucos Ecclesia ista invenerit, qvi gravi eos perstringerent censura, etiamsi plures illi sæpè habuerint Patronos ac Defensores. Non ergò simpliciter dissensus à Romana Ecclesia in re qvapiã facit hæreticũ, nisi hæc Catholicã sibi per omnia habeat consentientem. Unde & Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis meritò utramq; in descriptione hæretici conjungit, qvum lib. de Eucharistiæ Sacramento scribit: *Hæreticus est omnis homo, qvi à Romanâ & universali Ecclesiâ in fidei doctrina discordat.* Atqve sic & qvarta significatio hæretici est expedita. Qvæ tamen commodè ad secundam potest reduci. Ad sanctimoniam namq; vitæ sine dubio pertinet etiam istorum observantia præceptorum: *Honora Patrem tuum & matrem tuam, ut benè tibi sit,* Exod. 20, 12. *Audi, Fili mi,*

disciplinam Patris tui, & directionem matris tuæ ne repellas, Proverb. 1, 10. Et c. 6, 20, 21, 22: *Custodi, Fili mi, præcepta Patris tui & directionem matris tuæ. Alliga ea cordi tuo, idq́ jugiter, & adnecte ea gutturi tuo, ut te proficiscentem deducant, ut super dormientem excubent, cumq́ evigilas, tecum disserant.* Qvod si verò ejus, qvi sanctè vivere vult, est & matris suæ naturalis præcepta custodire, qvanti magis omnium, qvi sanctitatis gloriam reportare volunt, erit custodire præcepta & sanctiones spiritualis *omnium nostrum matris*, Gal. 4, 26, Ecclesiæ. Cum enim naturales matres in directione sua interdum impingere soleant ex præcipitantia aliqva aut simili infirmitate: hæc à recto exorbitare tramite in decretis suis haud potest, ut *qvæ in omnem ducitur veritatem à Spiritu veritatis*, Johan. 16, 13.

XXXIV. Tandem cum omnis doctrina & disciplina ex antecedente progrediatur cognitione, ut rectè docet Aristoteles lib. 1 Post. c. 1 §. 1, idem obtinet quoq; in eâ, quæ ad salutem nos ducit, institutione. Nec enim ad eam illotis planè acceditur manibus. Cum qvis animum applicat ad artem ædificandi, affert sanè ad illam notitiam lapidum, lignorum, aliorumq; talium. Pariter & accedens ad artem sutoriam, adfert secum notitiam corij, cultri, subulæ, jamq; tum novit, corium qvidem sectile esse, cultrum autem vim secandi habere. Idem & Mathematicis evenit disciplinis. *A Geometrâ namq́*, ait Themistius in paraphrasi prædicti loci, *docemur qvidem punctum esse, cujus pars nulla est, sed compertum jam ante habemus, qvid partis nomine significetur. Arithmeticus porrò nobis monstrat, numerum imparem esse, qvi in haud æqvalia dividatur, sed qvid inæqvale sit, præscivimus, atqve sic deinceps.* Similiter ergò se res habet etiam in doctrinâ salutis. Nempe, antequam ad illam percipiendam aut traden-

dam qvis accedat, nosse oportet, quod Deus sit, quod hic unus sit ac fons omnis boni, & quod providentia ejus se extendat etiam ad res humanas, sitq; remunerator bonorum ac vindex nefariorum factorum, neque salutem etiam post hanc vitam hominibus invideat, cum anima eorum etiam post mortem sit superstes. Porrò, quod ex naturæ lumine nequeant sufficienter cognosci, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria, indeq; revelatione potentiori sit opus, quam Deus fecerit per Spiritum sanctum Prophetis sub Veteri,& Apostolis sub Novo Testamento, qui eam non solùm summatim tradiderint, sed & uberius tàm viva voce quàm scriptis, quæ nos Canonica vocamus, diduxerint, ut Ecclesia certam regulam doctrinæ salutis haberet, partim simpliciter proponendæ,partim & demonstrandæ ac uberius declarandæ. Inde ergò ad extremum & illi Ecclesiastico usu vocantur hæretici, qui aliquid ex præsuppositis istis salutaris doctrinæ negant: vel etiam aliqua scripta pro Canonicis venditant, quæ Prophetas & Apostolos, aut viros Propheticos & Apostolicos non habent autores: aut denique arbitratu suo scripta,quæ reverà sunt Canonica, exponunt, sensum genuinum à Spiritu sancto intentum deserentes. Tollunt enim id, sine quo doctrina salutis aut planè non potest consistere,aut non satis firmiter adversus contradicentes defendi ac probari. Sic pro hæreticis fuére semper habiti in Ecclesia TRITHEITHÆ, ita vocati, quod *sicut tres personas in Trinitate: ita qvoqve tres adstruerent Deos*, teste Isidoro lib. 8 Orig. cap. 5. Quamvis enim id dicere omninò refugerent, tres tamen in divinitate asserebant substantias & naturas per omnia similes, adeoq; pluralitatem naturarum in eam invehebant. Cujus hæreseos defensor extitit, tempore Phocæ Imperatoris, Johannes Philoponus, Philosophus Alexandrinus, quem & illius ducem fuisse refert Nicephorus

Callist.

Callist. l. 18 c. 46 & 47, additq; c. 48 scripsisse contra ipsum & errores ejus Leontium Monachum & Georgium Pisidem Diaconum. Recensiti quoque inter hæreticos fuerunt FLORINIANI, de quibus ita Augustinus l. de hæresibus c. 66, & ex eo rursum Isidorus l. c: *Floriani à Florino, qui dicebant Deum creasse mala, contra id, quod scriptum est: Fecit Deus omnia & erant bona valde.* Idem confirmat etiam ante illos Eusebius lib. 5 Hist. c. 18. Ait enim Irenæum adversus Florinum scripsisse librum, quo demonstrarit, *Deum non esse factorem malorum.* Ulterius hæreticis etiam annumerati fuerunt VALENTINIANI & MARCIONITÆ, eo quod divinam providentiam sublatum irent. Inde enim Tertullianus lib. contra Valentinianum cap. 7, de Deo Valentinianorum scribit, *quod infinitis retrò ævis sit in maximâ & altissimâ quiete, in otio plurimo, placidæ & stupentis divinitatis, qvalem jusserit Epicurus.* Marcioni autem idem objicit lib. 5 adversus illum scribens: *Marcion principalem suæ fidei terminum de Epicuri scholâ agnoscit Deum, inferens hebetem, ne timeri dicat eum.* Inter hæreticos quoq; fuerunt scripti, qui libros Mosis in controversiam vocarunt, aut etiam totum vetus Testamentum rejecerunt. Prius de APELLE refert Origenes ad caput sextum Geneseos, his verbis: *Hic asseruit scripta Mosis nihil in se divinæ sapientiæ, nihilq́; operis sancti Spiritus continere.* Seqvuti verò hunc fuére & PTOLEMAITÆ dicentes, *ea, qvæ in libris Mosaicis continentur, non esse à bono DEO, sed à tribus diversis autoribus profecta: atqve unam qvidem eorum partem à DEO opifice hujus mundi, qvi esset medius inter Deum bonum & Diabolum, esse conditum: secundam verò à Mose juxta propriam mentem & non juxta Dei voluntatem excogitatam: tertiam à Senioribus Iudæorum, secundum ipsorum ingenium confictam*, teste Epiphanio hæresi 33, num. 4.

FAU-

Faustus quoq; & reliqui Manichæi rejiciebant omnes libros Mosis, *quod à principio usque ad calcem à malo Hebræorum Deo essent dictati, & à filijs ejus Iudæis omni turpitudine ac fœditate referti: qui, ut eas fœditates contegerent, inseruerint eis pauca quædam verba de lege naturali, quam Deus bonis mentibus humanis impressit, ut tanquam velo ac nebulâ divinorum verborum superinductâ autoritatem libris suis conciliarent*, ut memorat de ijs Augustinus lib. 22 contra Faustum Manichæum. Isidorus de ijsdem lib. 8. Orig. c. 5 scribit, quod *totum vetus Testamentum respuerint, novum ex parte receperint.* Quod tamen & ipsum de ijs refert Augustinus lib. de hæresibus c. 46 his verbis: *Deum, qui legem per Moysen dedit, & in Hebræis Prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum asserunt. Ipsiusq; Novi Testamenti Scripturas tanquam infalsatas ita legunt, ut, quod voluerint, inde accipiant; quod nolunt, rejiciant eisq; tanquam non totum verum habentibus, nonnullas apocryphas anteponunt.* Simile quid de Archonticis memoriæ proditum reliquit Damascenus lib. de hæresibus. Ait enim disertè, *eos Vetus Testamentum rejecisse.* Sed & Cerdonianos ait illud improbasse. Idemq; fecisse & Marcionitas. *Statuisse* enim, *quod Novum Testamentum à Veteri & Autore ejus discreparet.* Denique & de Valesiis tale quid refert: *Veteris*, inquit, *Testamenti legem ac Prophetas improbant.* Alogos verò ait rejecisse *Ioannis & Evangelium & Apocalypsin propterea, quod Deum, qui à Patre profectus est, Verbum esse semper non receperint.* Quod ipsum memorat etiam Epiphanius hæresi 51, necnon Nicetus de Alogis. Sed & jam ante illos Apocalypsin Johannis, quasi falsam, rejecerat Cerdon apud Tertullianum de præscript. c. 5, nec non Marcion apud eundem lib. 4 advers. Marcion. c. 5, alijq;.

Porrò

Porrò fuit & hæresis quædam Sec. IV exorta, quæ de Cantico Canticorum ambigeret, existimans *illud non Spiritu divino, sed humanarum rerum causâ ac voluptatum esse confectum.* Meminit ejus Philastrius l. de hæres. Sect. 3 num. 83, ut & Theodoretus præfat. in Cantic. Canticor. Ulterius de BOGOMILIS Sec. XI exortis Euthymius in Panopliâ part. 2 tit. 23, c. 1: *Rejiciunt*, inquit, *omnes libros Mosaicos unà cum Deo, qui in ipsis memoratur, virisq́; justis, qui sunt illi charissimi. Reliquos item omnes, qui posteà scripti sunt, tanquam Diaboli astutiâ compositi sint. — Septem duntaxat suscipiunt & colunt & in summo habent pretio, id est, Psalterium, & librum sedecim Prophetarum, & Evangelium secundum Matthaum, & secundum Marcum, & secundum Lucam, & secundum Iohannem, & septimum librum, quo res ab Apostolis gestæ continentur, cum omnibus Epistolis & Ioannis Theologi Apocalypsi.* Harmenopulus quoque de iisdem lib. de hæresibus, qui extat in calce partis secundæ Juris Græco-Romani, cap. 19: *Testamenti Veteris & Novi libros, unacum perscripto in iis Deo abrogant, velut adflatu Satanæ exaratos, exceptis duntaxat septem, inter quos est & ipsum Evangelium.* Deniq;, ne dissertationem nimis protrahamus, DE ALBINGENSIBUS etiam Antoninus in summâ parte 4 tit. 11 cap. 7 §. 5 memorat, quod *Vetus Testamentum non à bono esse Deo dixerint, & quod Moses malus fuerit.* Dubitant tamen alij, an hæc ipsorum fuerit sententia. Quâ de re alibi dicendi erit locus. Alij receperunt quidem omnia scripta tàm veteris quàm novi Testamenti, sed inter hæreticos tamen & ipsi fuere scripti, quod Prophetis & Apostolis alios adderent, quos ceu divino Numine afflatos sequebantur, quales erant CATAPHRYGES, de quibus Damascenus l. c: *Vetus & Novum Testamentum illi quidem probant, sed & alios Prophetas inducunt, & Montanum & Priscillam*

in honore habent & pretio: aut ſcripta Prophetica & Apoſtolica ſuo arbitratu interpretarentur, quod uſu veniebat Pepuzianis, qui & Quintiliani dicebantur. Sic enim & de illis Damaſcenus: *Novo juxta ac Vetere inſtrumento uſi ſunt, ſed omnia ſuo arbitrio interpretantur.* Id enim hæreticis familiare eſſe, ut non nativum, etiam illorum, quæ aſſumunt, ſcriptorum ſequantur ſenſum, ſed alienum ijs inferant, à ſe confictũ, jam ante quoq; monuimus vid. n. XXII, & in ſpecie de Bogomilis quoq; id teſtatur Harmenopulus, ſcribẽs: Παρερμηνεύουσι δὲ καὶ ταύτας καὶ βλασφήμοις ἐννοίαις καὶ μυσαραῖς πρὸς τὸ δοκοῦν αὐτοῖς μεταφέρουσιν, *Verum hos ipſos quoque* (quos aſſumunt libros) *falſâ interpretatione corrumpunt & blasphemis ac ſceleſtis intellectibus ad id, quod ipſis videtur, pervertunt.* Unde & Hieronymus in cap. 5 Epiſt. ad Galatas & ex eo Iſidorus l. cit: *Quicunq; aliter Scripturam ſacram intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo conſcripta eſt, licet de Eccleſiâ non receſſerit, tamen hæreticus poteſt appellari.* Inſerta reperiuntur hæc verba & Corpori Canonico causâ 24, q. 3 cap. Hæreſes. Sed & ante eum Eulogius Epiſcopus Alexandrinus l. contra Severum & Timotheum apud Photium codice 225: *Solent hæretici amentes partem aliquam Scripturæ accipere & hanc depravare, propter hanc cætera condemnare & ad ſacram lectionem calumnijs & diviſionibus impium dogma conflare.*

XXXV. Obſervandum autem, quod non par ſit omnium conditio, quæ præſuppoſita diximus religionis Chriſtianæ. Quædam enim ex illis ita ſunt comparata, ut ſubſiſtere ſine ijs iſta planè non poſſit, veluti, ſi omninò Deus, aut providentia ejus, negetur, vel etiam bonitas illius in controverſiam trahatur, & ſi quæ ſunt id genus alia. Quædam autem ad τὸ εὖ εἶναι religionis Chriſtianæ faciunt, non autem ad τὸ εἶναι ſimplici-

pliciter, veluti Scriptura sacra. Nam, ut taceam, veram jam olim in mundo extitisse religionem, antequam quicquã scriberetur, certè ipsimet Apostoli, priusquam ad scribendum se accingerent, subjugasse Christo jam per fidem universum propè terrarum orbem leguntur. Quod mirum non est. Ordinariè enim fides nascitur *ex auditu Verbi prædicati*, Rom. 10, 17. Canon Biblicus autem eò præcipuè fine constitutus est, ut ij, qui jam imbuti sunt religione Christianâ, inde in eâ confirmentur. Quod & non obscurè Lucas indicat, causam afferens, quâ motus Evangelium suum scripserit. Ait enim id eo fine factum, ut *Theophilus*, hoc est, omnis Christianæ religionis sacris initiatus, *eorum* ἀσφάλειαν, hoc est, firmitatem ac robur *agnosceret, quæ per catecheticam institutionem ante accepisset*, capite 1 Evang. v. 4. Ad quæ verba Titus Bostrensis Tom. 13 Bibl. PP: *Quæ Theophilus auribus antè hauserat, ea nunc Lucas literis consignata offert, quo*, frequenti scilicet illarum lectione, *in fide confirmatior evaderet*. Vel, ut Theophylactus in Comm. habet, *ut fidem* ἐν ἀσφαλείᾳ πλείονι, *in majori firmitate & securitate conservaret*. Paulus quoq; se eadem Philippensibus ideo scribere pronunciat, ut tutos eos & instructiores redderet. *Eadem*, inquit, *scribere me quidem haud piget*, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές, *vobis autem tutum est*, Philip. 3, 1. Unde rectè Faustinus de fide contra Arianos: *Scripturæ*, ait, *divinæ ob hoc editæ sunt, ut secundum illarum sensum nostram fidem erigamus*. Aliàs Irenæus lib. 3 adversus hæreses cap. 4 apertè testatur, multas Barbarorum nationes Christianam religionem fuisse amplexas, eamq; illibatam servasse, etiamsi Scripturis essent destitutæ. *Quod si*, inquit, *neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias. Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Bar-*

barorum, — sine chartâ & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem cœli & terræ &c. Hanc fidem qvi sine literis crediderunt, qvantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: qvantum autem ad sententiam & consvetudinem & conversationem, propter fidem, per qvam sapientissimi sunt, placent DEO, conversantes in omni justitiâ & castitate & sapientiâ. Qvibus si aliqvis annunciaverit ea, qvæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloqvens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire qvidem sustinentes blasphemum colloqvium. Pertinent quoque huc ista Optati Milevitani ex libro 7 adversus Parmenianum ad Donatistas directa: *Post factum Patrum vestrorum nullum damnum passa est turba credentium, unusqvisq́; eorum sub metu codices suos perdidit. Nam lex, qvæ necessaria fuerat, valet apud doctores populorum & cultores Dei.* Denique Augustinus libr. 1 de doctrinâ Christianâ c. 39: *Homo,* inquit, *fide, spe & charitate subnixus eaq́; inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaqve multi per hæc tria in solitudine sine codicibus vivunt.* Hæc illi. Unde sine dubio magis sunt hæretici, qui præsupposita prioris generis in dubium vocant, quàm ij, qui quidpiam, ad præsupposita posterioris generis pertinens, inficiantur.

XXXVI. Patet ex his, quod hæretici vox sit ex eorum numero, quæ Græcis dicuntur τὰ κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον. Alij enim magis, alij minus sunt hæretici, prout doctrinâ suâ saluti plus aut minus obsunt. Quemadmodum autem his, de quibus vox aliqua ad istum modum dicitur, solet quidpiam esse commune. V.c. Civis imperans & parens in eo conveniunt, quod ambo sint civitatis alicujus seu reipublicæ consortes, licet

cet non parili ratione: ita & hæretici omnes hoc commune habent, quod à judicio & tramite Catholicæ Ecclesiæ deflectunt. Ea enim inconcussa servat omnia, quæ ad salutem nos ducunt, aut etiam aliàs ad bonum ordinem spectant, vel etiam veræ religionis statuminandæ ergo ipsi ab Apostolis sunt concessa. Unde Augustinus Epist. 56: *Omnium*, inquit, *hæreticorum quasi regularis est illa temeritas, scilicet ut conentur auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicitationis, superare.* Valentinianus, Theodosius & Arcadius, Imperatores, ad Aurelianum Proconsulem Asiæ leg. 28 Cod. Theodosiani de hæreticis: *Hæreticorum*, ajunt, *vocabulo continentur & latis adversus eos sanctionibus debent succumbere, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare.* Eadem verba reperiuntur quoque in literis Gratiani, Valentiniani & Theodosij ad Hesperium lege 2 Cod. Justinianei de hæreticis & Manichæis, nec non lib. 1 Βασιλικῶν Titulo 1 lege 21. Rursus in literis ad Adrianum Arcadius, Honorius & Theodosius lege 5 prædicti Codicis, Ne baptisma sanctum iteretur, hæreticos vocant eos, *qui in Catholicam religionem perverso dogmate aliquid committunt.* Justinianus insuper in literis ad Epiphanium, Archiepiscopum Constantinopolitanum, leg. 7 C. de summâ Trinit. & l. 7 lib. 1 Βασιλικῶν eodem Tit: hæreticos vocat ἀλλοτρίους τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, *alienos à sanctâ, Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ.* Et Isidorus l. cit. postquam hæreses, usque ad ipsius ætatem exortas, descripsisset, concludit tandem: *Hæ sunt hæreses adversus Catholicam fidem exortæ, & ab Apostolis & à sanctis Patribus vel Concilijs prædamnatæ: quæ dum in se multis erroribus divisæ, invicem sibi dissentiunt: communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant.* Quod verissimè ab eo scriptum est.

Nam & Ecclesia mediâ semper viâ inter hæreses, sibi è diametro adversas, incedit. Sic cum Sabellius unam sanctæ Trinitatis naturam atq; hypostasin simul unam, habentem plura nomina, diceret, Arius autem tres hypostases ac tres diversi generis naturas defenderet, Tritheitæ verò tres quidem naturas, sed ejusdem tamen generis astruerent, Ecclesia Catholica, medio gradu incedens unam simplicissimam & individuam naturam propugnavit in tribus hypostasibus. Pariter cum è diametro inter se pugnarent in mysterio οἰκονομίας declarando Nestorius & Eutyches (Ille enim duas quidem naturas fatebatur, sed negabat factam earum unionem hypostaticam: hic autem hypostasin quidem unam concedebat, sed tàm arctam, ut de duabus naturis una quoq; effecta esset natura) Ecclesia, iterum mediâ inter hos pergens viâ, unam hypostasin in duabus amplexa est naturis. Rursus, cum Manichæi liberum hominis arbitrium planè tollerent, Pelagiani autem illud ita inveherent, ut ex proprijs ac naturalibus ejus viribus hominem opera legis perficere posse statuerent, Ecclesia liberum quidem arbitrium contra Manichæos asseruit, sed vires istas, quas ei tribuebant Pelagiani, destruxit. Videri potest hâc de re etiam Leontius de sectis, Actione primâ. Atque hinc & passim hæretici Catholicis opponuntur. Catholicus enim propriè is est, qui integritatem, quam servat Catholica Ecclesia, & ipse custodit. *Catholicus*, ait Pacianus Epistol. 1 ad Sympronianum Novatianum, *est, ubi unum; vel, ut doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur, mandatorum scilicet Dei. Vnde Apostolus: Si in omnibus obedientes estis.* Et Augustinus lib. de verâ religione cap. 6: *Catholici*, inquit, *sunt integritatis custodes & rectè sentientes.* Vincentius Lirinensis porrò in Commonitorio cap. 3: *In ipsâ Catholica magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum*

tum est: hoc est etenim verè propriéq; Catholicum, qvod ipsa vis nominis ratioq; declarat, qva omnia ferè universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si seqvamur — universitatem, antiqvitatem, consensionem. Seqvemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, qvam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiqvitatem verò ita, si ab ijs sensibus nullatenus recedamus, qvos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem qvoqve itidem, si in ipsâ vetustate omnium, vel certe penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasq; sectemur. Et cap. 25: *Ille est verus, & germanus, & Catholicus, qvi veritatem DEI, qvi Ecclesiam, qvi Christi corpus diligit, qvi divinæ religioni, qvi Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujuspiam autoritatem, non amorem, non ingenium, non eloqventiam, non Philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanens, qvicqvid universaliter antiqvitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumq; decernit.* Jam autem ab eo deviant hæretici. Catholicorum ergò nomen, quicquid etiam contra dicant, sustinere non possunt, indeq; meritò Catholicis opponuntur, ceu alieni à Catholicæ Ecclesiæ judicio. *Non oportet unqvam*, ait Clemens Alexandrinus lib. 7 Stromatum, *sicut faciunt, qvi hæreses seqvuntur, adulterare veritatem, neqve furari regulam Ecclesiæ. — Qvod enim Catholicâ Ecclesiâ posteriora sua fecerint conciliabula, non est opus multum probare. — Qvin & substantiâ & cogitatione, & principio & excellentia solam esse dicimus, antiqvam & Catholicam Ecclesiam in unitatem unius fidei cooptatam. — Et sicut principium constructionis est ex unitate: ita omnia alia separat & nihil habet sibi simile vel æqvale. — Ex hæresibus autem alia qvidem appellantur ex nomine, ut qvæ appellata sunt à Valentiniano & Marcione —: alia autem ex loco, ut Peratici: alia autem ex gente, ut Phrygum hæresis: alia autem ex operatione, ut Encratitarũ &c.* Origenes, Dialogo de rectâ in Deum fide, hæreticum quendam Marcionitam ita alloquitur: *Qvomodo es Christianus, qvi ne qvidem nomen Christiani æqvum ferre censuisti? Neqve enim Christianus nominaris, sed Marcionianus?* Cumq; is replicasset: *Vos qvoqve Ecclesia Catholica dicimini; ne vos qvidem igitur Christiani estis,* respondet ille: *Si hominis cognomen habuissemus, rectè dixisses. Sin ex eo, qvod totius mundi*

mundi sumus, dicimur, quid est in hoc mali? Et homil. 3 in Psal. 36: *Omnium hæreticorum sermo non est probata pecunia, nec Dominicam integrè in se habet figuram, sed adulteram, quæ extra monetam ita figurata est, quia extra Ecclesiam* (Catholicam scilicet) *composita est.* Constantinus Imperator ad Dracilianum: *Privilegia, quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis observatoribus prodesse oportet: hæreticos autem atque schismaticos ab his alienos esse volumus.* Athanasius q. 45 ad Antioch: *Divinâ revelatione factum est, ut nos Christiani ab Apostolis vocaremur. Quamobrem accuratè norit, qui ad Christum accedere voluerit, quod quæ fides in terrâ de nomine hominis dicitur, veluti à Simone Simoniani & Marcione Marcionistæ, ab Ario Ariani. — hæ omnes & reliquæ ab hominum nominibus pendentes & ab eis cognominatæ professiones fidei non sint à Deo, nec Deus in illis. — Erit igitur gloria nostra gloriosissima Catholica Ecclesia; quod Catholici scilicet & dicamur & simus.* Pacianus Epist. 2 ad Sympronianum: *Si fortè ingressus populosam urbem, Marcionitas, Novatianos & cæteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent; quo nomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur.* Et posteà: *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit. Hinc probor, inde significor. — Ita Christianus Catholicus est. Quare ab hæretico nomine populus etiam hac appellatione dividitur, dum Catholicus nuncupatur.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18 Illuminatorum: *Si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia vel domus Dei? Nam & hæretici dicunt, se habere domum Dei, & Ecclesiam; sed pete, ubi sit Catholica Ecclesia? Id enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ, matris omnium nostrum.* Valens, Gratianus, Valentinianus ad Hesperium l. 4 C. Theodos. de hæret: *Olim pro religione Catholicæ sanctitatis, ut cœtus hæreticæ usurpationis quiescerent, jussi sumus.* Gratianus, Valentinianus & Theodosius in edicto ad populum urbis Constantinopolitanæ l. 2 C. Theodos. de fide Catholicâ: *Hanc legem,* religionis scilicet Catholicæ Ecclesiæ *sequentes, Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti, reliquos verò dementes vesanosq; judicantes hæretici dogmatis infamiam sustinere nec conciliabula eorum Ecclesiarum nomen accipere.* Inserta

hæc verba etiam ſunt Codici Juſtinianeo l. 1 de Trinitate. Au-
guſtinus lib. de verâ religione c. 7: *Tenenda eſt nobis Chriſtiana reli-*
gio & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nomina-
tur, non ſolùm à ſuis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint,
ipſi quoque hæretici & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum ex-
traneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant: non
enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine etiam diſcernant, quo ab univerſo orbe
nuncupatur. Et Epiſt. 56 ad Diſcorũ: *Cum in unitate atque commu-*
nione Catholicâ non ſint (hæretici,) *Chriſtiano tamen nomine gloriantur.*
Arcadius, Honorius & Theodoſius l. 4 C. Theod. ne ſanctum
baptiſma iteretur: *Adverſarios Catholicæ fidei* (id eſt, hæreticos) *ex-*
ſtirpare hujus decreti auctoritate proſpeximus, ideoq; intercidendam ſpecialiter
eam ſectam novâ inſtitutione cenſuimus, quæ hæreſis vocaretur, appellationes
ſchiſmatis præferebat, videlicet ſectam Donatiſtarum. Honorius &
Theodoſius ad Olympium & Valentem l. 42 C. Theod. de
hæreticis: *Eos qui Catholicæ ſectæ ſunt inimici* (ita vocant hæreticos)
intra palatium militare prohibemus. Nullus nobis ſit aliquâ ratione conjunctus,
qui à nobis fide & religione diſcordat. Rurſus ad Curtium ibidem l.
43: *Pœna lege propoſita veluti convictos tenere debebit eos, qui Donatiſtas ſe*
confeſſi fuerint, vel Catholicorum communionem refugerint, ſectâ religionis
obtentâ, quamvis Chriſtianos eſſe ſe ſimulent. Et l. 44: *Donatiſtarum hæ-*
reticorum, Iudæorum nova atque inuſitata detexit audacia, quod Catholicæ fi-
dei velint Sacramenta turbare. Quæ peſtis uſque contagionis latius emanet
ac profluat. In eos igitur, qui aliquid, quod ſit Catholicæ ſectæ contrarium
adverſumq; tentaverint, ſupplicium juſtæ animadverſionis expromi præcipimus.
Addi his poſſunt etiam lex 46 & 47. Theodoſius & Valen-
tinianus ad Georg. Proconſ. Africæ ibidẽ l. 63: *Omnes hæreſes*
omnesq; perfidias — — — omnes Catholicæ legis inimicos inſectamur errores.
Et leg. 64: *Manichæos, hæreticos, omnemq; ſectam Catholicis inimicam ab*
ipſo aſpectu urbium diverſarum exterminari præcipimus. His accedit &
Juſtinianus Imperator. Vocat enim apertè hæreticos *hoſtes ſan-*
ctæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, l. 6 C. de Trinitate. Item *alienos à*
ſanctâ, Catholicâ & Apoſtolicâ Eccleſiâ, ibidem lege 7. Deniq; No-

vellâ 109: *Hæreticos, inqvit, dicimus omnes, qvi non sunt membrum sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, in qvâ omnes concorditer sanctissimi Episcopi, & totius orbis terrarum Patriarchæ, & Hesperiæ & Romæ & hujus regiæ civitatis, & Alexandriæ & Theopoleos & Hierosolymorum & omnes, qvi sub eis constituti sunt, sanctissimi Episcopi, Apostolicam prædicant fidem atqve traditionem. Igitur sacram communionem in Catholicâ Ecclesiâ non percipientes à Deo amabilibus Sacerdotibus, hæreticos justè vocamus.*

Hæretici & Ortho-doxi. XXXVII. Porrò ex eodem capite hæretici opponuntur etiam ORTHODOXIS. Orthodoxus enim dicitur ab ὀρθῶς & δόξα, quarum vocum prior quidem idem notat, quod rectè, posterior autem duabus gaudet significationibus. Interdum enim existimationem sive opinionem designat, de alio quodā conceptam, verbi causâ, quod probus sit, aut doctus &c. Quo sensu Plato lib. 1 de legibus: *Persæpè*, inquit, *timemus* δόξαν, *arbitrantes nos existimari malos esse, agentes vel dicentes aliqvid eorum, qvæ sunt honesta.* Et Aristoteles libro Sophist. Elench. cap. 16 §. 5 eodem intellectu artem solvendi fallacias utilem ait esse πρὸσ δόξαν, *ut qvis videatur rerum peritus atqve hac ratione gloriam sibi conciliet.* Unde & Hesychius in Lexico: Δόξα, inquit, φήμη, τιμὴ, Δοξα *idem est, qvod fama, honor.* Et Suidas: δόξα ἐςὶν, ὁ παρὰ τῶν πολλῶν ἔπαινος, *gloria est laus, qvæ à populo manat.* Aliquando verò δόξα etiam notat opinionem, de re aliquâ conceptam. Quâ ratione Sextus Empiricus in libris suis adversus dogmaticos placita cujuscunq; sectę δόξας vocat, veluti placita sive opiniones Stoicorum ςωϊκὰς δόξας & sic deinceps. Aristoteles quoque eodem sensu Dialecticæ finem constituit δόξαν 1 Topic. c. 14 §. 7. Utraq; significatio retineri potest in descriptione Orthodoxi. Orthodoxus namq; est, qui rectam opinionem fovet de religionis negotio, eoq; ipso consequitur, ut, quantum ad confessionem attinet, verus habeatur Christianus. Ast ij soli de religionis negotio

rectè sentiunt, qui tramitem ac judicium Catholicæ Ecclesiæ sequuntur. Inde Orthodoxus idem est, qui Catholicus. Hoc sensu vocem hanc accepit Eutropius libr. 22 rerum Romanarum scribens: *Cosmas à Monothelarum cacodoxiâ redijt ad orthodoxiam.* Sed & acceperunt ita Valentinianus & Marcianus Imperatores l. 12 Cod. Justinianei de sacrosanctis Ecclesijs: *Privilegia, quæ generalibus constitutionibus universis sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxa, id est, Catholicæ religionis retrò Principes præstiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus custodiri.* Eadem significatio obtinet quoque lege 16 sub eodem titulo: *Decernimus, ut antiquatis ac infirmatis funditus his, quæ contra ipsum Orthodoxæ religionis DEUM quodammodo facta sunt, in integrum restituantur universa & ad suum ordinem revocentur, quæ ante professionem nostræ mansvetudinis de orthodoxæ religionis fide — firmiter obtinebunt.* Conferri etiam potest lex 25, necnon 33, 34 item ejusdem Cod. de Episcopis & Clericis, deniq; lex 13, 15, 19, 21 de hæreticis & Manichæis aliæq; passim. Atque hinc & in Novellis, Constitutione 115 cap. 3, *Orthodoxi* & *illi, qui Catholicæ fidei atque Ecclesiæ communicant*, conjunguntur aut pro ijsdem habentur, ut §. 14: *Si quis de prædictis parentibus Orthodoxus constitutus senserit, suum filium vel liberos non esse Catholicæ fidei, nec in sacrosanctâ Ecclesiâ* (Catholicâ scilicet) *communicare, in quâ omnes beatissimi Patriarchæ unâ conspiratione & concordiâ fidem rectissimam prædicant & sanctas quatuor Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam I & Chalcedonensem amplecti seu recitare noscuntur, licentiam habeat pro hâc maximè causâ ingratos eos & exhæredes scribere in suo testamento.* Et mox: *Si quando parentes inventi fuerint, sive Judaico furori dediti, sive Acephalorum amplectentes insaniam, & ideo ab Ecclesiæ Catholicæ communi-*

one separati, non liceat eis alios hæredes sibi instituere, nisi liberos Orthodoxos & Ecclesiæ Catholicæ communicantes, κοινωνοῦντες τῇ καθολικῇ Εκκλησίᾳ. — *Quod si fortè ex filijs alij quidem sint Orthodoxi & Ecclesiæ Catholicæ communicantes, alij verò ab eâ separati, omnem parentum substantiam ad filios tantum Catholicos pervenire sancimus.* Rursus c. 4 §. 8: *Si quis de prædictis liberis Orthodoxis constitutus senserit suum parentem vel parentes non esse Catholicæ fidei, hæc in eorum personâ tenere, quæ suprà de parentibus jussimus.* Denique pertinet huc & lex quinquagesima libro 1 Βασιλικῶν Titul. 1 de summâ Trinitate & fide Catholicâ l. 50: Μὴ διδότω ὀρθόδοξος αἱρετικῷ ἢ ἄλλῳ κακοδόξῳ ἀκίνητόν τι, *Orthodoxus rem immobilem hæretico aut alij, de fide malè sentienti, non donet.* Conferri possunt etiam lex 31 & 33. Nec aliter verò hâc de re & Patres loquuntur. *Neque in confusione paganorum neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum est religio, sed apud eos solos, qui Christiani Orthodoxi vel Catholici nominantur*, ait Augustinus lib. de verâ religione cap. 5. Et Albinus Flaccus Alcuinus lib. de divinis Officijs cap. de celebrat. Missæ scribit: *Orthodoxi, id est, rectæ gloriæ dicuntur, eò quod nullo errore depravati rectæ fidei confessione Deum celebrent. Iidem ergò sunt Catholicæ & Apostolicæ fidei Cultores. Catholicæ, id est, universalis, quam universa ubique servat Ecclesia: ejusdemq́ Apostolicæ, quam in toto mundo doctrina Apostolorum fundavit.* Quæ verba repetit & Florus Magister in expositione canonis. Consentit verò illis & Honorius Augustodunensis lib. 1 de antiquo Missæ ritu c. 103 scribens: *Orthodoxus dicitur rectè glorians; scilicet in rectâ fide existens.* Quæ verò hæc nisi Catholica fides? Eâdem ergò ratione, quâ hæretici opponuntur Catholicis, ijdem opponuntur etiam Orthodoxis. *Hæreticorum ita*

est reprimenda insania, ut ante omnia, quas ab Orthodoxis abreptas tenent ubicunque Ecclesias, statim Catholicæ Ecclesiæ tradendas esse non ambigant, quia ferri non potest, ut qui nec proprias habere debuerant, ab Orthodoxis possessas, aut conditas, suáq; temeritate invasas ultra detineant, inquiunt Theodosius & Valentinianus Imperatores, l. 65 C. Theodos. de hæreticis. Et posteà: *Nulli hæreticorum danda licentia vel ingenuos, vel servos proprios, qui Orthodoxorum initiati sunt mysteriis, ad suum rursus baptisma deducendi: nec non illos, quos emerint, vel qualitercunq; habuerint nec dum suæ superstitioni conjunctos, prohibendi Catholicæ sequi religionem Ecclesiæ.* Quæ verba & in Codice Justinianeo occurrunt leg. 3, Ne sanctum baptisma iteretur. Ita & Justinus Imperator: *Hæreticus*, inquit, *est omnis non Orthodoxus*, l. 12 C. Justinianei de hæreticis & Manichæis. Et leg. 13: *Hæretici Patres nihil habentes legitimum, quo accusent Orthodoxos filios, coguntur præter facultates suas etiam alimenta erogare & reliqua necessaria & conjungere in matrimonium Orthodoxos.* Justinianus quoque ibidem l. 18 §. 1: *Si alter conjugum Orthodoxus sit, & alter hæreticus, oportet fieri liberos Orthodoxos. Quod si ex his alii Orthodoxi fiant, alii hæretici maneant, soli succedunt utriq; parenti Orthodoxi.* Et. l. 20 §. 1: *Soli Orthodoxi, intra sacra septa habentes ergasteria, utuntur privilegiis, non item hæretici, qui nec intra sacra septa negotiantur, ne divina audiant mysteria.*

XXXVIII. Opponuntur tamen Catholicis pariter & Orthodoxis non solùm hæretici, sed & infideles simpliciter sic dicti, veluti Judæi, Pagani, Mahumedani. Nam & hi Catholicæ Ecclesiæ placita non minùs, imò etiam magis impugnant. Interim discrimen aliquod sine dubio inter hos est & illos. Nam primò infideles pleraq;, quæ sunt religionis Christianæ, adoriuntur atque labefactare conantur. Hæretici autem plerumq; tantùm unum atq; alterum illorum vellicant,

veluti Ariani divinitatem Christi, Nestoriani mysterium unionis personalis duarum naturarum in Christo &c. Unde & Theophilus Alexandrinus Epist. 1. paschali: *Etiam hæretici scripserunt aliqua, quæ Ecclesiæ fidei non repugnant.* Et Cyrillus Alexandrinus, citatus ab Eulogio Alexandrino, apud Photium Codice 230: οὐ πάντα, ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ, φεύγειν, καὶ παραιτεῖσθαι χρή. Πολλὰ γὰρ ὁμολογοῦσιν ὧν καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν, *Non omnia, quæcunque dicunt hæretici, vitare ac repudiare oportet: multa enim profitentur ex ijs, quæ & nos ipsi profitemur.* Porrò & Rusticus, Diaconus Romanus, in disputatione suâ contra Acephalos: *Non omnia*, ait, *quæ ab hæreticis dicũtur, nequam sunt.* Leontius quoq; de Sectis art. 8: *Non necesse est omnia, quæcunq; dicunt hæretici, omnino non admitti, mala saltem rejici debent.* Deinde infideles vexat ἀπιστία, hæreticos autem κακοπιστία; sive, quod idem est, illi planè non credunt, hi credunt quidem, sed perversè. Illi non agnoscunt principium hoc: *Quicquid Christus tenendum esse docet, id omninò tenendum est.* Quamvis enim aliqua eorum, quæ Christus docuit, amplectantur & ipsi, veluti resurrectionem mortuorum Judæi & Mahumedani, non tamen ideò ea amplectuntur, quod à Christo prodita sunt, sed quod ab alio, v. c. à Mose, tradita vel Mahumede. Unde non malè Theodorus Balsamon in Synod. Carthaginens. can. 25 infideles ita describit: Ἄπιστοι λέγονται οἱ μηδὲ ὅλως πιστεύοντες τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ λόγου, *Infideles dicuntur, qui omninò non credunt incarnatam Verbi* οἰκονομίαν. Solent enim veteres Ecclesiæ Doctores passim eam DEI dispensationem vel dispositionem, quâ saluti nostræ clementissimè prospexit & viam nobis ejus expediendæ per Christum aperuit, οἰκονομίαν nuncupare. Ita hanc vocem usurpat Clemens Alexandrinus lib. 5 stromatum, ubi talarem Pontificis vestem Propheticè significasse dicit τὴν

κατὰ

κατὰ σαρκὰ οἰκονομίαν, *eam, quæ in carne facta est, dispensationem.* Basilius quoq; eodem sensu in Psalm. 44: *Mixtus*, inquit, *est de Servatore sermo, propter naturam divinitatis*, καὶ τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐνανθρωπήσεως, *& œconomiam incarnationis.* Sed & Gregorius Nazianzenus Orat. 42 in eandem sententiam: *Hæc*, ait, *de Deo nobis hactenus disputata sunt: neq; enim nunc de his dicendi tempus est:* ὅτι μὴ θεολογία τὸ προκείμενον, ἀλλ' οἰκονομία, *quia id, de quo agimus, non Theologia est, sed dispensatio.* Accedit his & Gregorius Nyssenus, cujus in libr. de Resurrect. hæc sunt verba: *Quæ habuit Christus per naturam, ut Deus, hæc dicitur accipere* οἰκονομικῶς, *per dispensationem.* Theodoretus insuper ἐν ἀσυγχύτῳ de Symbolo Nicæno loquens: *Voluerunt*, inquit, *Patres Nicæni, simul* καὶ τὸν τῆς Θεολογίας, καὶ τὴν τῆς οἰκονομίας ἡμῖν παραδοῦναι λόγον, *& Theologiæ & dispensationis nobis doctrinam tradere.* Valentinianus quoq; & Valens in Epistolâ quâdam apud eundem lib. 4 Hist. cap. 7: *Confitemur*, ajunt, *Filium Dei, perfecisse* πᾶσαν ὑπὲρ ἡμῶν οἰκονομίαν, *totam pro nobis dispensationem*, pro salute videlicet nostrâ susceptam. Denique & Johannes Damascenus lib. 3 de orthod. fide c. 28: *Fames*, inquit, *sitis, clavi, lateris vulnus, mors, si opinione duntaxat & non reapse extiterunt, tum fumus & mera larva fuerit* τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον, *dispensationis mysterium.* Augustinus autem speciatim dispensationem vocat functionem prædicationis Christi, quando Tract. 31 verba ista Servatoris, *Et nunc vado ad eum, qui misit me*, ita exponit: *Implere debeo dispensationem meam, & sic pervenire ad passionem meam.* Eos ergò infideles dicit Balsamon, qui non credunt incarnatam Verbi οἰκονομίαν, hoc est, Christum eo fine à Deo missum, ut viam salutis hominibus aperiret & monstraret, adeò, ut nomen ei dare cogantur, ipsiusq; doctrinam unicè amplecti, quotquot ad salutem cupiunt

per-

pervenire. Hæretici autem ratum hoc habent. Fatentur, inquam, illi, omnes, quotquot cupidi sunt salutis, Christi doctrinam sequi oportere, sed ubi ad ipsa Christi verba perventum est, alienam ijs mentem affingunt. Unde porrò infideles apertos se Christiani nominis exhibent hostes: hæretici autem Christianum nomen præ se ferunt, atque sub eo alios decipere quærunt. Hoc enim ipsum nomen est *vestitus* ille *ovium, qvo amicti isti incedunt*, Matth. 7, 15. *Instituit Dominus*, ait Tertull: libro de præscript. adversus hæreticos c. 4, *multos venturos sub pellibus ovium lupos rapaces. Qvænam sunt istæ pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? qui lupi rapaces, nisi sensus & Spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes?* Ambrosius lib. 16 Epist. 80: *Multi*, inquit, *venient ad vos vestimentis ovium, ij videlicet, qui subtiliter Christianos sese jactitant, ut sub velamento pij nominis gradientes domum orationis ingressi sermonem serpentinæ disputationis effundant, ut sagittent in obscuro rectos corde, atqve veritatem Catholicam vertendo ad suæ doctrinæ rabiem Diabolico more traducant atq; ovium simplicitatem defraudent.* Hilarius Diaconus Romanus in 1 Corinth. 3: *Qvamvis hæretici sint aliqvi, non tamen docent, nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito Salvatoris nomine prædicent, ut res contrarias & absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles.* Autor Operis imperfecti in Matthæum apud Chrysost. homil. 19 ad cap. septimum: *Vestimentum ovile est species Christianitatis. — A foris enim in schemate Christiani vocantur* (hæretici,) *ab intus autem confessionis efficacitate* (sunt) *gentiles.* Etherius quoque & Beatus lib. 1 contra Elipandum: *Si omnes*, inquiunt, *interroges Christianos, & dicas, creditis Christum, omnes uno ore respondebunt tàm Catholici, qvàm heretici, tàm boni, qvàm mali, & dicent, credimus,*

dimus. Et hoc tantum ore profitentur hæretici: sed in corde aliud suspicantur esse Christum, qvod non est Christus. Deniq; qvi simpliciter infideles dicuntur, religionem Christianam nunqvam fuere amplexi, nec unqvam membra Ecclesiæ facti. Qvi enim in gremium ejus semel sunt recepti, sed hinc rursum sive ad Judaismum, sive ad Paganismum, aut ad Mahumedanismum relabuntur, non infideles simpliciter, sed apostatæ dicuntur. *Apostatæ*, inqvit Isidorus lib. 8. Orig: c. 10, *qvi post baptismum Christi susceptum ad idolorum cultum* (si scilicet ante fuerint Pagani) *& sacrificiorum contaminationes revertuntur.* Hæretici autem qvi propriè nuncupantur, mysteriis fidei Christianæ jam ante fuerunt initiati & membra Ecclesiæ facti, sed hinc, fidem adulterantes & corrūpentes, membra Ecclesiæ esse desierunt. Qvo spectant & ista Johannis Apostoli ex 1. Epist: 2, v. 19: *Exierunt ex nobis, sed non fuerunt ex nobis.* *Marcion*, inqvit Tertullianus l. 1 adv. illum c: 1, *Deum, qvem invenerat, extincto lumine fidei suæ amisit. Non negabunt discipuli ejus, primam illi fidem nobiscū fuisse, ipsius litteris testibus: ut hinc jam destinari possit hæreticus, qvi deserto, qvod prius fuerat, id posteà sibi elegerit, qvod prius non erat. In tantum enim hæresis deputabitur, qvod posteà inducitur: in qvantum veritas habebitur, qvod retrò & à primordio traditum est.* Et in Scorpiaco adversus Gnosticos *defectam disciplinam* hæreticis impingit. Origenes qvoq; homil: 3 in Cantic: Canticorum: *Omnes hæretici primò ad credulitatem veniunt, & posthac ab itinere fidei & dogmatum veritate declinant. Sicut & Johannes Apostolus in Epistolâ suâ dicit: Qvia à nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Non aliter & Hieronymus. Sic enim ille lib: 3. Comment: in Jeremiæ cap. 13: *Hæreses, ait, sub Christi nomine inter se digladiantur, & dimicant contra matrem, qvæ eos genuit, Ecclesiam.* Et lib. 4. Comment. in ejusdem Prophetæ c. 23: *Omnis hæreticus nascitur in Ecclesiâ, sed de Ecclesiâ projicitur, & contēdit & pugnat contra parentē.* Cyrillus Alexandrinus qvoq; lib: de rectâ fide in Dominū nostrū Jesum Christū ad Theodosium Imperatorem hæreticos inde eos dicit, *qvi*

rectâ semitâ relictâ, distortam & à recto veritatis scopo abducentem viam ingrediuntur. Justinianus Novella 109: *Licet hæretici Christianum nomen sibimet imposuerint, attamen à Christianorum se fide & communione separant, Dei judicio semet ipsos subdi cognoscentes.* Et posteà: *Qvæ* (mulieres) *separant se à sanctâ Dei Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ, & sacrosanctam in eâ communionem percipere non patiuntur à Deo amabilibus sacerdotibus, nolumus omninò talibus frui privilegiis* (datis videlicet). *Si enim se separant à Dei muneribus & à sacrâ communione alienas faciunt: multò potius & nos non eas dignas fieri privilegiis, neq; ex nostris legibus frui permittimus continentia.*

XXXIX. Sed nec omnis statim hæreticus, saltem formaliter, dicendus est, qvi cum religionem Catholicam ante ex omni parte esset amplexus, hinc in uno atq; altero ejus capite à judicio & tramite Catholicæ Ecclesiæ deviare cœpit. Fieri enim potest, ut qvis ex simplicitate aliqvâ, aut rationibus nonnullis speciosis illectus, aut ab aliis deceptus, à regiâ istâ viâ decliner, paratus interim sit aliis rectiora monentibus cedere, & qvamprimum se in errore versari sufficienter cognoverit, ei nuntium remittere. Tali autem animo præditum qvis ilicò hæreticũ propriè appellaverit? Spectat huc celebris illa sancti Martyris Cypriani sententia ex Epistolâ 63: *Si qvis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit & tenuit, qvod nos Dominus facere exemplo & Magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentiâ Domini venia concedi, nobis verò non potest ignosci, qvi nunc à Domino admoniti & instructi sumus.* Inde & Augustinus l. de utilitate credendi ad Honoratum c. 1. distingvit accuratè inter hæreticum & hæretico credentem, *qvem definit hominem imaginatione qvâdam veritatis & pietatis delusum.* Et Epist. 162 ad Glorium, Eleusium & alios: *Qvi sententiam suam,* inquit, *qvamvis falsam atq; perversam, nulla pertinaci animositate defendunt: præsertim qvam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt: qværunt autem cautâ solicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, neqvaqvã sunt inter hæreticos deputandi.* Citantur hæc ejus verba & in Corpore Canonico causa 24. qvæst: 3. can: Dixit Apostolus. Rursus lib. 3 de animâ & ejus origine ad Vincentium Victorem c. 15 scribit: *Sunt hæc apertè per-*

versa & fidei Catholicæ adversa, — & si pertinaciter defendantur, tot hæreses facere possunt, qvot opiniones esse numerantur. Qvocirca considera, qvàm sit hoc horrendum, ut omnes sint in uno homine, qvæ damnabiles essent in singulis singula. Sed si tu pro eis nullâ contentione pugnaveris, imò eas fidelibus verbis & literis expugnaveris, laudabilior eris censor in teipsum, qvàm si qvemlibet alium tectâ ratione reprehenderes; & mirabilior eorum emendator, qvàm si nunqvàm illa sensisses. — Absit autem, ut te arbitreris hæc opinando à fide Catholicâ recessisse, qvamvis ea sint adversa fidei Catholicæ, si coram Deo, cujus in nonnullius corde oculus fallitur, veraciter te dixisse resipiscis, non te tibi ipsi esse credulum probari ea, qvæ dixeris, posse: ac studere te semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur, eò qvod sit tibi cordi, proprio damnato judicio, meliora magis & qvæ sint veriora, sectari. Iste qvippe animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipse est correctionis præmeditatione ac præparatione Catholicus. Salvianus Massiliensis l. 5 de gubernat: Dei, differens de barbaris nihil omninò scientibus, nisi qvod à Doctoribus suis audivissent, indeq; illorum vitio in errorem inductis: *Hæretici qvidem*, inqvit, *sunt* (puta materialiter) *sed non scientes. — Errant, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominum atq; amare credentes. Qvamvis non habeant rectam fidem; illi tamen hoc perfectam Dei æstimant caritatem. Qvaliter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die judicii puniendi sint, nullus potest scire, nisi judex. Interim idcircò eis, ut reor, patientiam Deus commendat, qvia videt eos, etsi non rectè credere, affectu tamen piæ opinionis errare: maximè cum sciat eos ea facere, qvæ nesciunt: nostros autem negligere, qvod credunt: ac per hoc illos magistrorum peccare vitio, nostros suo: illos ignorantes, nostros scientes: illos id facere, qvod putent rectum, nostros qvod sciant esse perversum.* Agit de eâdem re Facundus, Episcopus Hermianensis, qvi tempore Justiniani Imperatoris floruit, l. 12 pro defensione trium capitulorum Concilii Chalcedonensis cap. 1, & prolixè probat, hæreticum ob solam ignorantiam neminem esse dicendum. Inter alia dicit: *Cum ipsi Apostoli aliqvando fuerint in fide imperfecti, nunqvam tamen hæretici, cumq; adhuc parum de Christo crederent, magnam potestatem acceperunt Spirituum immundorum, ut ejicerent eos & curarent omnem langvorem & omnem infirmitatem. — Si verò illi, qvi præsentem habebant ipsam in corpore veritatem, potuerunt absq; criminе secus aliqvid de illo minusvè sentire, cur hæresis crimini deputetur, si qvis*

 qvam

qvam in Ecclesiâ pietate præditus, obedientiâ devotus, subjectus & habilis ad discendum, aliter de illâ senserit, qvod reprehensum corrigere sit paratus? Qvocircà omnes, qvi in discipulatu sunt veritatis, & semetipsos rationi dociles & subjectos auctoritati præbent Ecclesiæ, si aliter sapiant de his, qvorum fide mundantur, vel propter incapacem suam intelligentiam, vel minus rem animadvertendo, qvàm opus est, impiè procul dubio tanqvam hæreticos execrantur. Qvi enim statuit in corde suo firmius hoc credere, qvod in talibus doctrina & fides habet Ecclesiæ, qvamvis non perfectè omnis de iisdem sapiat vel loqvatur; qvia tamen suâ scientiâ non confidit, & multa, in qvibus errat aut dubitat, ab Ecclesiâ rectâ teneri non dubitat, ubi positus velut in scholâ veritatis pium habet discendi propositum, non est dicendus inimicus ipsius veritatis, qvod est hæreticus, sed perficiendus potius discipulus. Imperfectus iste profectò nihil sui cordis adinventione confictum propriâ qvâdam auctoritate docere præsumit, sicut qvidam hæretici, neq; talia docentes seqvitur: sed auctoritati divinarum literarum innititur atq; ubi earum intelligentiam non fuerit assecutus (in multis siqvidem, pro illarum magnâ profunditate humanus caligat aspectus) cognoscens qvid inde statuerit universalis Ecclesia, errori suo piâ cordis humilitate renuntiat, qvia nunqvam sibi, ne aliter saperet, interdixit. Sicut ergò sunt perfectiores qvidam, qvi magno sapientiæ dono prævalent mente contemplari, qvæ tantummodo creduntur ab aliis in vitâ perfectis: ita multi sunt imperfecti in Ecclesiâ Christi, & tamen in servandâ ejus unitate perfecti, qvi cum per ignorantiam suam in plurimis errent, in nullo tamen errore credunt Ecclesiam, cujus se confidunt unitate salvari.

XL. Erant, ut hanc rem exemplo uno atq; altero illustremus, inter Galatas non pauci, qui à falsis Apostolis seducti totius legis Mosaicæ observantiam necessariam ad salutem arbitrabantur, qvos prolixè refellit Paulus in Epistolâ ad eos scriptâ cap. 2 & seqq Pariter & inter Corinthios erant, qui seductoribus credentes, resurrectionem mortuorum in controversiam vocabant, ceu patet ex 1 Corinth: 15, nec tamen ideo è vestigio deceptos illos inter hæreticos scribit Apostolus. Ecclesiæ qvid in hujusmodi casibus usu venerit, constat vel unius Synesii exemplo. Erat hic vir pius pariter & doctus. Sed scrupulus interim & ipsi circa dogma resurrectionis, qvod nullo pacto sibi persvadere poterat, hęrebat, qvemadmodũ rotundè in Epistolâ ad Eutropium fratrẽ, quę est numero cẽtesima quinta, ipsemet fatetur; videlicet *se longè ab eo abesse, ut de resurrectione vulgi consentiret opinionibus*: eô tamẽ nõ obstãte, nõ solùm mysteriis Christianę religionis fuit initiatus, sed & summo

Sacer-

Sacerdotio dignus habitus, qvod tàm Clerus quàm populus putaret
fieri non posse, ut qvi tam laudabiliter vitam hactenus instituisset,
non resurrectionis qvoq; lumine illustraretur, qvæ spes nec fefellit
ipsos. Facillimè enim, simul ac Episcopus creatus esset, etiam hoc
fidei caput fuit amplexus. Meminit ejus rei Evagrius l. 1, c. 15, nec
non Photius in Biblioth: codice 26. Periculosum qvoq; dogma fo-
vebat olim seculo VI Lucidus qvidam, magni nominis Presbyter,
nempe illud ipsum, qvod damnatum olim in *Prædestinatianis* fuisse
diximus suprà. Asserebat & ipse, *nec piè viventibus prodesse operum bono-
rum laborem, si ad damnationem essent à Deo præsciti; nec obesse impiis, qvomo-
docunq; viverent, si ab eodem essent ad vitam prædestinati.* Sed ideò non il-
licò & ipse hæreticus declaratus fuit. Fratrem eum potius parum
cautum in Epistolâ ad eum scriptâ, atq; à Patribus Synodi Lugdu-
nensis postmodum approbatâ, appellabat Faustus Rhegiensis, atq;
in gremio matris Ecclesię Catholicę ut permaneret, repudiato hoc
errore, monebat. *Si enim,* inqviebat, *cito respuatur, ignorantia fuisse
videbitur; blasphemia autem reputabitur, si pertinaciter defendatur.* Inserta
hæc Fausti Epistola reperitur Annalibus Baronii ad annum Christi
490 num: 18 & seqq. Portò ex Actorum decimo qvinto cap. v.
27 non obscurè colligitur, qvod à nonnullis, ex Gentilismo conver-
sis, scortatio non æqvè fuerit æstimata flagitium, atq; ab aliis; qvam
sententiam ex Paganismo secum attulerant. Qvamvis enim, qui
inter gentes sapientissimi habebantur, non negarent *meretrices turpiter
facere, qvod meretrices essent,* ceu Ulpianus loqvitur l. idem D. de
Condit: ob turpem causam; non existimabant tamen peccare, qui
fœminis ad hoc venalibus uterentur. Unde lupanaria apud illos
permittebantur, qvo Venere meretricum, multorum libidini paten-
tium, contenti, si qvi libidinis stimulis agitarentur, juvenes præci-
puè, à pudicis matronis solicitandis abstinerent. Exstat in hanc
rem lex Solonis, cum apud Lysiam, tùm apud Plutarchum ita ha-
bens: *Ne qvis pro mœcho prehenditor in eâ, qvæ vel in lupanari, vel publicè
prostat. Qvæ publicè prostant, etiam servorum injuriæ obnoxiæ sunt.* Qvam
legem laudat & Philemon in Delphis apud Athenæum lib. 13.
Spectantqve huc & ista Publii Terentii ex Eunucho Act: 5. sce-
na 5: *Qvis homo pro mœcho unqvam vidit in domo meretriciâ prehendi qven-
qvam?* Sed & Cicero Oratione pro M. Cœlio scribit: *Si qvis est, qvi
etiam meretriciis amoribus interdictum juventuti putet, est ille qvidem valdè se-*

 verus,

verus, negare non possum: sed abhorret non modò ab hujus seculi licentiâ, verùm etiam à Majorum consvetudine atq; concessis. Qvando enim hoc non factum est? qvando reprehensum? qvando non permissum? qvando deniq; fuit, ut, qvod licet, non liceret? Deniq; & Ulpianus Ictus memorat, qvod *in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exerceri olim fuerint solita, atq; inde eos reditus percepisse* l. 27 D. de hæreditatis petitione. Putarunt ergo & ii, qui ex gentilibus Ecclesiæ Christi se primum associarant, scortationem simplicem pro mortali peccato non esse habendam; qui sanè error erat, pietati Christianæ repugnans, nec tamen ideo illos extemplò ceu hæreticos rejiciendos esse censebant Apostoli, sed de errore potius suo comiter ac benignè monendos, qvò eũ deponerent atq; deinceps aversarentur. Porrò in substantialia Sacramenti Baptismi impingebant illi, qvi baptismum, arenâ peractum, pro legitimo habebant. Accidit hoc Dionysii, Ascalonis Episcopi, ætate. Cum enim Judæus aliqvis per arida loca iter cum Christianis faceret, atq; morbo correptus, baptismum instanter expeteret, hi tandem ob penuriam aquę arenâ eum, ter invocatâ sacrosanctâ Trinitate, perfundebant, qvo facto vires ille statim cum valetudine recuperabat, ut institutum iter cum his perficere posset. Cum autem posteà venientes Ascalonem super eâ re consulerent Dionysium, modò laudatum, maximæ tùm famæ virum, ipse obstupefactus miraculo, mox convocato Clero totum exponebat negotium, ut decernerent, utrũ arenarius ille baptismus pro[b]ari posset, ad qvod nõ similiter respondebant omnes, qvibusdã id ob miraculi magnitudinem affirmantibus, aliis negantibus, qvod Dominus baptismum aqvâ circumscripsisset Joh. 3, 5. Qvibus accedebat & Dionysius, jubens, novitium istum fidei alumnum ad Jordanem duci atq; ad Sacramenti perfectionem aqvâ ablui; non tamen hæreseos dicam aliter sentientibus scribebat, qvod non sponte errassent, sed ratione aliqvâ delusi. Narrat historiam hanc Sophronius Sophista, vel potius Johannes Moschus, sive Eviratus, Prati spiritualis cap 176. Ac similem habet etiam Nicephorus lib. 3. c. ult. Ulterius ritu Paschalis observantiæ juxta definitionem Synodicam, in primo Concilio Oecumenico factam, per annos propè trecentos à tempore celebrati hujus Concilii abfuisse, legitur vetus Scoticana Ecclesia, nec tamen ideo fuit damnata, qvod constitutionis istius Synodicæ nullam haberet adhucdum notitiam. Confirmat id Beda lib. 3. Ecclesiasticæ histo-

historiæ gentis Anglorum c. 4 his verbis: *In tempore summæ festivitatis dubios circulos seqvebantur, utpote, qvibus longè ultra orbem positis, nemo Synodalia Paschalis observantiæ decreta porrexerat, tantum ea, qvæ in Propheticis, Evangelicis & Apostolicis literis discere poterant, pietatis & castitatis opera diligenter observantes. Permansit autem hujusmodi observantia Paschalis apud eos tempore non pauco, hoc est, usq; ad annum Dominicæ incarnationis septingentesimum decimum sextum. —— At tunc veniente ad nos reverendissimo & sanctissimo Patre & Sacerdote, Egbertho, de natione Anglorum, qvi in Hyberniâ diutius exulaverat pro Christo, eratq; doctissimus in scripturis, & longævâ vita perfectione eximius, correcti sunt per eum, & ad verum Canonicumq; Pascha diem translati: qvem tamen & anteà non semper in Luna qvartâ decimâ cum Judæis, ut qvidam rebantur, sed in die qvidē Dominicâ, aliâ tamen, qvàm decebat, hebdomadâ, celebrabant. Sciebant enim (ut Christiani) resurrectionē Dominicam, qvæ primâ Sabbati facta est, primâ Sabbati semper esse celebrandam, sed ut barbari & rustici, qvando eadem prima Sabbati, qvæ hinc Dominica dies cognominatur, veniret, minimè didicerant. Verùm qvia gratia charitatis fervere non omiserant, hujus qvoq; notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt, juxta promissum Apostoli dicentis: Et si qvid aliter sapitis & hoc qvoq; vobis Deus revelabit.*

In seqventibus c. 25, refert judicium Wilfridi Presbyteri, Agilberti Occidentalium Saxonum Episcopi, ibidē præsentis, discipuli, qvod in Synodo super Paschatis observantiâ, in Nothumbriâ, præsente Nordanhumbrorum Rege Oswi, habitâ de Columbâ, ejusq; successoribus, qvos eodem modo ac Scoticanam Ecclesiam Pascha peregisse dixerat Colmannus Nordanhumbrorum Episcopus, consvetudinis istius defensor, tulerit. *Absit*, inqviebat, *ut de Patribus vestris malè sentiam: qvia justius multo est de incognitis bonum credere, qvàm malum. Unde & illos Dei famulos ac Deo dilectos esse non nego, qvi simplicitate rusticâ, sed intentione piâ Deum dilexerunt. Neq; illis multum obesse Pascha talem reor observantiam, qvamdiu nullus advenerat, qvi eis instituta perfectioris decreta, qvæ seqverentur, ostenderat: qvos utiq; credo, si qvi tunc ad eos Catholicus calculator adveniret, sic ejus monita fuisse secuturos, qvomodo ea, qvæ noverant ac didicerant Dei mandata, probantur fuisse secuti. Tu autem & socij tui, si audita decreta sedis Apostolicæ, imò universalis Ecclesiæ & hæc literis sacris confirmata seqvi contemnitis, absq; ullâ dubietate peccatis: etsi enim Patres tui sancti fuerunt, numqvid universali, qvæ per orbem est, Christi Ecclesiæ, horum est paucitas una de angulo extremæ insulæ præferenda?* Deniq; nec defuerunt, qvi de auctoritate librorum qvorundam Canonicorum dubitarent, ab Eccle-

sia

sâ tamen nec ideò, ceu hæretici, mox fuerunt damnati, qvod non malo id fecissent consilio; sed eò, qvod non rectius essent informati, aut dubitasse aliqvos jam ante se de eâdem re vidissent, qvi tamen hæreseos nunqvam fuerant habiti suspecti. Veluti de Epistolâ ad Hebræos Eusebius lib. 3 Hist: c. 3 & 22 testatur, *ei à nonnullis, maximè in Romanâ Ecclesiâ, fuisse contradictum.* Hieronymus qvoq; ad c. 6 Esaiæ: *Unde & Paulus Apostolus in Epistolâ ad Hebræos, qvam Latina consvetudo non recipit: Nonnè omnes, inqvit, ministri sunt Spiritus?* Et rursus ad c. 8: *B. Apostolus in Epistolâ qvæ ad Hebræos scribitur, docet (licet eam Latina consvetudo inter Canonicas scripturas non recipiat) hoc testimonium ex personâ debere intelligi Domini Salvatoris.* Simile qvid referunt iidem & de Epistolâ Jacobi. Sic enim Eusebius lib. 2. cap. 23: *Hactenus de Jacobo, cujus illa habetur Epistola, qvæ prima scribitur inter eas, qvæ Catholicæ appellantur. Sciendum tamen est, qvod à nonnullis non recipitur, nec facilè qvis antiqvorum ejus meminit.* Hieronymus autem in Catalogo Scriptorum Eccesiasticorum: *Jacobus,* ait, *frater Domini brevem scripsit Epistolam, qvæ de septem Canonicis est: qvæ & ipsa ab alio qvopiam sub ejus nomine edita asseritur: licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem.* Porrò & de secundâ Petri Epistolâ Eusebius lib: 3 c. 3: *Petri,* inquit, *una Epistola est, videlicet prior, de qvâ nullus omninò dubitavit: nam de secundâ multis incertum est.* Hieronymus autem rursum dicto libro: *Secunda Petri Epistola à plerisq; ejus esse negatur propter styli ejus cum priore differentiam.* Ulterius & de Judæ Epistolâ uterq; geminum qvid scribunt. Eusebius enim iterum l. 2 c. 23: *A nonnullis,* inqvit, *non recipitur Epistola, qvæ dicitur Judæ, nec facilè qvis antiqvorum meminit illius.* Hieronymus verò itidem citato libro: *Judas frater Jacobi parvam qvidem, qvæ de septem Catholicis est, reliqvit Epistolam & qvia de libro Enoch, qvi Apocryphus est, in eâ assumit testimonium, à plerisq; rejicitur: tamen auctoritatem jam vetustate meruit.* Deniq; de Apocalypsi Johannis, ut duarum posteriorum ejus Epistolarum, de qvibus iterum videndus est Hieronymus, nunc mentionem non faciã, Amphilochius in Jambis ad Seleuciũ de sacræ Scripturæ libris: *Apocalypsin,* ait, *aliqvi iis inserunt: sed longè plurimi adulterinam dicunt.* Et Hieronymus Epistolâ ad Dardanum testatur, *ita Græcos de Apocalypsi contra communem Latinorum consensum dubitasse, ut id temporis Latinorum plerisq; de Epistolâ ad Hebræos contra communem Græcorum consensum dubitârint.*

Disp. VII. Respondente JOHANNE JACOBO WERNERO, Bartensteinensi, Prusso,

XLI. Is ergò demùm hæreticus dici propriè meretur, qui errorem quempiam adversus communem Ecclesiæ sensum non ex simplicitate aut imbecillitate aliquâ, sed ex proæresi defendit ac pertinaciter insuper, etiamsi monitus, in eo persistit. Nam & fides, cui hæresis opponitur, non est sine proæresi, novis scilicet viribus à Spiritu sancto instructâ. Cum enim objectum ejus non sit evidens (*fides* namque *eorum est, quæ non videntur*, Hebr: 11, 1) requiritur sine dubio pia quædam in proæresi affectio & impulsus, ut quis rebus fidei assensum præbeat: absq; quo si esset, nec præmium aliquod illa exspectare haberet. Unde & Servator iteratis vicibus reprehendit Judæos, quod *credere nollent*, veluti Matth. 21, 25, & Joh. 5, 46, nec non c. 8, 25, 26. Apostolus quoq; passim meminit *obedientiæ fidei* Rom: 16, 26 & 2 Cor. 10, 6. Deniq; & Patres frequentissimè hinc fidem *voluntariam assensionẽ* definiunt. *Quoniam liberæ sententiæ*, inquit Irenæus lib. 4 c. 72, *ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus, cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex eâ, quæ est ad Deum, obedientiâ: & non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum, & suæ potestatis arbitrium homini servavit DEus, dicens: Secundum fidem tuam fiat tibi* (Matth. 18, 13.) *propriam hominis fidem ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam.* Ita & Clemens Alexandrinus lib: 1 Strom: ὁ πιστεύσας, inquit, ἑκὼν ἤδη παραγαλίσκεται, *Is, qui credit, suâ sponte capitur.* Lib. 2 Stromatum autem apertè fidem definit πρόληψιν ἑκούσιον καὶ θεοσεβείας συγκατάθεσιν, *voluntariam anticipationem & pietatis assensionem.* Cyprianus lib: 3 Testim: ad Quirinum n: 52: *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam, in Deuteronomio indicatur: Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum; elige vitam tibi, ut*

bi, ut vivas. Hilarius lib: 8 de Trinit: *Si fidem nobis necessitas affixâ voluntatis inferret, non haberet fides præmium.* Ambrosius in 2 Cor. 1: *Qvoniam fides non necessitatis sed, voluntatis res est, ideò dicit* (Apostolus): *Non qvod dominemur fidei vestra. Dominatus enim necessitatis causa est.* Chrysostomus homil. 4 in 2 Cor: ad eadem verba Apostoli: *Non dixit vobis, sed fidei vestræ. Nam credere nolentem, qvis est, qvi cogere qveat?* Hieronymus ad Ephes. 2: *Addidit & dixit Apostolus, fidem qvoq; ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris, non qvod liberum homini tollatur arbitrium, & secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit currentis nec volentis, sed miserentis Dei, verùm qvod arbitrij ipsa libertas Deum habeat autorem & ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle permiserit.* Gaudentius Brixiensis Tract: 6 de Exodo: *Voluntatis fides filios facit eos qui credunt.* Augustinus lib de bono perseverantiæ c. 16: *Fides sine voluntate non potest esse.* Et lib: 1 ad Simplicianũ qvæst. 2: *Nemo potest credere, nisi velit.* Idem repetit l. de Spiritu & literâ c. 31 & 32, item lib: 1 de prædestinat: sanctorum c. 2, nec non Tract: 26 in Johann. Respexerunt quoq; huc sine dubio Patres Concilij Arausicani, quando can: 5 *credulitatis affectum* vocant *initium fidei.* Sed & Theodoretus sermone 1 adv: Græcos: *Fides,* ait, est ἑκούσιος τῆς ψυχῆς συγκατάθεσις, *voluntaria animæ assensio.* Et Concilium Toletanum IV. celebratum Seculo VII. sub Honorio I, Romano Pontifice, capit: 55: *Sicut homo propriâ arbitrij voluntate serpenti obediens perijt: sic propriâ mentis conversione* (præsuppositâ scilicet gratiâ) *qvisq; credendo salvatur.* His omnibus consentit & Theophylactus in 2 Cor: 1 scribens: Προαιρέσεως ἐστὶν ἡ πίστις καὶ οὐδεὶς ἀναγκάζει πιστεύειν τὸν μὴ βουλόμενον, *Liberæ voluntatis fides est, neq; qvisqvam cogit nolentem credere.* Et Oecumenius ad eundem locum: *Fides mentis & electionis,* γνώμης καὶ προαιρέσεως, *est, nec qvispiam nolentem cogit ad credendum.* Deniq; & Anshel-

hielmus ibidem: *Quia fides non neceſſitatis, ſed voluntatis res eſt, non dominamur, inquit* (Apoſtolus) *fidei veſtra. Dominatus enim neceſſitatis causâ eſt, -- -- fides autem coactionem pati non poteſt.* Par ergò hactenus & hæreſeos eſt ratio. Nam & in principio ſtatim diximus, ipſam vocem αἱρέσεως idem Latinis denotare, quod electionem. Duo itaque concurrunt in hæreſi propriè dictâ, nempè error in intellectu, qui hæreſeos eſt principium; & malitia ac pertinacia in proæreſi, quæ hæreſeos eſt complementum. Notum eſt ex Philoſophiâ, eum injuſtum jlicò non dici, qui agit quidpiam, à regulâ juſtitiæ deflectens (id enim etiam ab ignaro aut repugnante fieri poteſt) ſed qui ſimul agit injuſtè, hoc eſt, à juſtitiæ regulâ diſcedit ſponte ſuâ & ex proæreſi, l.2.Ethic.c.3. Pariter nec is è veſtigio mendax dicitur, qui falſum quid eloquitur (id enim ab eo quoq; fit, qui falſò ab aliquo dicta refert, vera ea eſſe perſvaſus); ſed is, qui ex propoſito falſa proponit, ut aliis imponat, quod hominis improbi eſt & perverſi. Unde & P. Nigidius differre dicit hæc duo, *mentiri* & *mendacia dicere: Qui enim mentitur, fallit, quantum in ſe eſt: qui mendacium autem dicit, non item.* Quâ de cauſa & *virum bonum præſtare debere*, ait, *ne mentiatur*, apud A. Gellium lib: 11 Noct: Atticarum c. 11. Quibus ſimilia & Sextus Empiricus habet lib: 7. adverſus Dogmaticos, ita ſcribens: *Medicus, qui aliquid falſi dicit de ægroti ſalute & pollicetur, ſe aliquid daturum, non dat tamen, aliquid falſi quidem dicit, non tamen fallit aut mentitur; id enim refertur ad ſalutem ejus, cujus curam gerit. Similiter & præſtantiſſimi Imperatores ad conſolandos, qui ſub eis merent, milites ſæpè ex ſociis civitatibus confictis literis, falſum quidem dicunt, non autem fallunt ac mentiuntur, propterea quod hoc malo non faciunt animo.* Deniq; & Auguſtinus Ipſe de Mendacio c. 3: *Non omnis, qui falſum dicit, mentitur, ſi credit aut opinatur verum eſſe, quod dicit: — errans potius dicendus eſt, mentiens autem*

non rectè dicitur, qvia cor duplex cum enunciatione non habet, nec fallere cupit, sed fallitur. Culpa verò mentientis est in enunciando animo suo fallendi cupiditas. Ita ergò nec statim hæreticus dicendus, qui hæreticum aliquod dogma fovet, sed qui ejusmodi dogma amplectitur ex proæresi. Ex quo & *deceptores* passim vocantur hæretici, veluti Tit: 1, 10, 2 Johan. v: 7. Nempe sunt illi ἀντίστροφοι Sophistis, quos propriè vocant Philosophi, vanâ sapientiâ tumentibus, aliisque imponentibus. Quâ de causâ & Apostolus sapientiam eorum *vanam seductionem* vocat Col. 2, 23. Sophista autem definitur proæresi lib. Sophist: c. 1 §. 6 & 4 Met: c. 2, quemadmodum & omnes improbi 4. Topic: c. 5 §. 7. Ex eodem porrò capite hæretici & καπηλεύοντες dicuntur, *cauponantes verbum Domini* 2 Cor: 2, 17 h. e. adulterantes & corrumpentes illud, more cauponum, qui vinū destinato consilio adulterant, in se optimum, & vappâ dolosè permiscent. κάπηλος enim Græcis dicitur caupo, quemadmodum & κάπηλις cauponatrix, παρὰ τὸ κακύνειν τὸν πηλόν, ut Suidas observat, *qvod vitient*, seu corrumpant, *vinum.* Hinc autem κάπηλον iisdem dicitur id omne, quod sincerum non est, sed dolo ac fraude vitiatum. Qvo sensu Æschylus, citante Græcanicarum Etymologiarum coacervatore, κάπηλα τεχνήματα vocat *artes fraudulentas*, vitiata pro sinceris venditantes. Αὐτοκατακρίτους quoq; eosdem idem Apostolus vocat, id est, *proprio judicio condemnatos* Tit: 3, 11, ideò, quod scientes, volentes, à tramite & judicio Catholicæ Ecclesiæ recedant eique bellum indicant. Hi enim sunt αὐτοκατάκριτοι. Quod juxta alios etiam observat Justinus in Epistolâ ad Zenem & Serenum ante medium ita scribens: *Sententiam eqvidem meam dixerim, unumqvemq; mundano præditum animo & extra certam consistentem regulam*, Scripturæ scilicet & Ecclesia-

sticæ doctrinæ, uti hanc vocat & Theophilus Alexandrinus Epist: 3 Paschali, *suo ipsius judicio condemnatum esse scientem, quid de industria prudens faciat, ac bellum quidem quod intra se geritur non ignorantem, pacem autem in visceribus suis non conjectantem.* Pariter & Irenæus l. 1 c. 12: *Quotquot absistunt ab Ecclesia & anilibus fabulis assentiunt, verè à semetipsis sunt damnati.* Tertullianus lib. de præscript: adv: hæreticos c. 6: *Ideò & (Apostolus) sibi damnandum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, sibi elegit.* Cyprianus quoq; in eundem sensum Epist: 76 ad Magnum: *Quo sacramento declaratur in unam domum solam, id est, in Ecclesiam victuros & ab interitu mundi evasuros colligi oportere. Quisquis autem de collectis foràs exierit, id est, si quis, quamvis in Ecclesiâ gratiam consecutus, recesserit & ab Ecclesiâ exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum sibi quod pereat imputaturum. Quod Apostolus Paulus explanat, docens & præcipiens, hæreticum vitandum esse, ut perversum & peccatorem, & à se ipso damnatum. Hic enim reus sibi erit, qui non ab Episcopo ejectus, sed sponte de Ecclesiâ profugus & hæreticâ præsumptione à semetipso damnatus.* Ambrosius Serm: 2 in Danielem: *Hoc sacrilegi solet esse judicium, ut conscius facti ipse se damnet, sicut ait Apostolus: Hæreticum hominem post primam correptionem devita, sciens, quia perversus est hujusmodi & delinquit proprio judicio condemnatus. Ipse enim se damnat hæreticus, cum de Ecclesiâ ipse se projicit, & de cœtu sanctorum, nullo repellente, recedit. Ipse enim ostendit, quid mereatur à cunctis, qui suo judicio separatur à cunctis. Ipse, inquam, se damnat hæreticus, quia cum omnes criminosi Episcopi sententiâ projiciantur de consortio Christiano, hæreticus cunctorum vota præveniens, sententiâ suæ voluntatis abjicitur.* Quæ verba & Maximus repetit homil: 2 de accusato & judicato Domino apud Pilatum. Sed nec aliter Hieronymus ad Tit: 3: *Hæreticus propterea à semetipso dicitur damnatus esse, quia fornicator, adulter, homicida & cætera vitia per Sacerdotes de Ecclesiâ propelluntur: hæretici autem in semetipsos sen-*

ſententiam ferunt, ſuo arbitrio de Eccleſiâ recedentes, quæ receſſio propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio. Deniq; & hanc ob cauſam idem Apoſtolus hæreticis cauteriatam conſcientiam tribuit 1. Tim. 4,2. Καυτήριον Græca vox eſt, à καίω vel καύω, id eſt, *uro*, deducta. Atque vocabatur olim ſic apud pictores ferramentum, quo in picturâ, encauſtica dictâ, ad colores ceris inurendos utebantur. Qvo ſenſu Marcianus vocem accepit l. 17 D. de inſtructo vel inſtrumento legato. Eſtqve de eodem picturæ genere etiam accipiendum iſtud Ovidij hemiſtichion: -- -- *tabulasq́; coloribus uris.* Sed & nuncupatur ita inſtrumentum, quo ſtigmata inuri ſolent; item, quo Medici putres carnes & ulcera inurunt. Quo ſenſu vocem uſurpat Dionyſius Halicarnaſſeus, Epiſt. ad Cneum Pompejum, ubi Theopompum comparat Medicis, οἱ τέμνουσι καὶ καίουσι τὰ διεφθαρμένα τοῦ σώματος, εἰς βάθος τὰ καυτήρια καὶ τὰς τομὰς φέροντες, *qui corruptas corporis partes ſecant & urunt, qvàm profundiſſimè ſectiones & cauteria immittentes.* Galenus lib. 5 Methodi medendi c. 4 καυτήρια vocat διάπυρα καὶ ἐσχαρωτικὰ φάρμακα, *medicamenta ignita & cruſtas veluti inducentia.* Et Firmicus lib. tertio Matheſeos: *Et vulnera,* ait, *ipſa facit ignita cauteriorum aduſtione curari.* Hieronymus inſuper Epiſt. 47 de vitando ſuſpecto contubernio: *Putridæ,* ait, *carnes ferro urantur & cauterio.* Quibus conſona apud eundem occurrunt ſerm. in Jeremiæ caput vigeſimū, Oſeæ item quartum & aliàs paſſim. Iſidorus quoq; lib. 20 Orig. c. 16: *Cauterium,* inquit, *dictum qvaſi cauturium, qvod urat, & provida ſit in eum ſeveraq́; cautio: ut dum videtur, cujus ſit, avaritia refrenetur: Qvod interdum pro ſigno, interdum pro curâ adhibetur; ut vis morbi ignis ardore ſiccetur.* Denique Nicephorus Gregoras lib: 8 Hiſt: Romanæ:

ηæ: ὅταν ἐθέλῃ κολάζειν οὓς ἂν ἐθέλοι, παλαιῶν τε καὶ νέων ἁμαρτη-
μάτων ποιούμενος ἔλισιν, οἷα σοφὸς ἰατρὸς, τομὴν καὶ καυτῆρα ταῖς
δυσιάτοις ἐπάγει πληγαῖς, *Cum* Deus *aliquos ob vetera & re-*
centia delicta vult multare, periti Medici more incurabilibus
morbis ustiones & sectiones adhibet. Ad hanc significatio-
nem videtur respicere Apostolus, quando cauterio veluti no-
tatam conscientiam hæreticis tribuit, hoc est, ut exponit
Hilarius Diaconus Romanus, in Comm:, *simulatione cor-*
ruptam, quia sicut cauterium corium corrumpit & notam
infligit: ita & fallacia conscientiam, quæ dolo malevolentiæ
aliud scit & aliud profitetur, denotat ad perditionem. -- --
Et sicut cauterium immutari non potest, ita nec hæreticorum
animus emendari. Et Thomas in Comm: *Sicut cauterium,*
inquit, *corruptio est in carne per ignem, sive ferrum igni-*
tum, ex quo egreditur continua putredo: ita ex igne per-
versæ voluntatis quasi cauteriatæ, ulceratur conscientia &
egreditur falsa doctrina Dæmoniorum.

XLII. Et hinc alias quoque Patres passim hæreticum
electione & pertinacia circumscribunt. Justinus Philoso-
phus & Martyr Quæstionibus & Responsionibus ad Ortho-
doxos quæst: 4 expressè hæreticos *nova & tam sibiipsis, quā*
veritati repugnantia dogmata propalare dicit, οὐ ἀσθενείᾳ δυ-
νάμεως, ἀλλὰ τῇ πονηρίᾳ γνώμης, *non virium imbecillitate, sed*
malignâ mentis destinatione. Irenæus lib: 1 adversus hæreses
c. 1 ait, eos *repudiata veritate per probabilitatem subdolè,*
πανούργως, *comparatam seducere mentem imperitorum & de-*
pravare oracula divina atq; scientiæ prætextu multos ever-
tere. Et lib 3 c. 2: *Hanc sapientiam unusquisq; eorum esse*
dicit, quam à semetipso adinvenerit fictionem scilicet. Unus-
quisq; enim ipsorum omni modo perversus semetipsum, re-
gulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.

Ter-

Tertullianus lib. de præscript. c. 37: *Hæretici non à Christo habent, quod de suâ electione sectati hæreticorum nomine admittunt.* Et c. 42: *Mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se* (hæretici), *dum unusquisq; perinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit.* Rursus lib. adv: Marcionem c. 1: *Is destinari demum potest hæreticus, qui deserto, quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retrò non erat.* Et l. 2. c. 2: *Aut quis dubitabit, ipsum illud Adæ delictum hæresin pronunciare, quod per electionem suæ potius, quàm divinæ sententiæ admisit, nisi quod Adam nunquam fabulosus dixit, non prudenter definxisti me.* Origenes homil. 2 in Ezechielem: *Hæretici differunt quasi in Evangeliis, & quasi de Apostolis* αἰώνων *suorum fabulas proprio corde exponentes, non in corde Spiritus sancti.* Cyprianus Epist: 38 ad Caldonium & Herculanum: *Quisquis se inspirationi & factioni ejus* (Augendi, Novatiani) *adjunxerit, sciat, se in Ecclesiâ nobiscum non esse communicaturum: qui spontè maluit ab Ecclesiâ separari.* Rursus Epist. 69 ad Florentinum Pupianum expendens verba Petri ex Johann: 6, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: *Loquitur, inquit, illic Petrus, super quem ædificata est Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens & ostendens, quia etsi contumax ac superba obaudire volentium multitudo* (hæreticorum catervam intelligit) *discedebat, Ecclesia tamen ab ipso non recedit.* Et lib. de unitate Ecclesiæ: *Filios Aaron* (qui imposuerant altari ignem alienum) *imitantur ac sectantur, qui Dei traditione contemptâ alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt.* Athanasius Orat: 3 contra Arianos: *Quia istud palàm dicere subverentur* (hæretici), *aliâ ratione rursum idem significare conantur homines dolosi,* οἱ δείλαιοι, *idq; sub prætextu aliquo coloreq;, ut quemadmodum sepiæ atramentum, ita illi simplicioribus tenebras offundant, ipsi interim suæ hæreseos neqvaqvam obliti.* Et Quæst. 38 in Expositione dictorum & parabolarum Scripturæ: Hæresis dicitur ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαί, τι ἴδεον καὶ τοῦτο ἐξακολουθεῖν, ab eo, *si quis eligat & exequatur propriam suam sententiam.* Hieronymus lib: 10 in Ezechielis caput 33: *Perseverant* (hæretici) *in pravitate sententiæ*

nentia — Ecclesiasticam conversationem polluentes & qvotidiè de com-
plexu Christi deceptos rapere festinantes. Gratianus, Valentinus
& Theodosius l. 2 C. de Trinit: hæresin *dementiam* dicunt
animi obstinationis. Augustinus l: 18 de Civ: Dei c. 51: *Qui*
in Ecclesiâ Christi morbidum aliquid pravumq́; sapiunt, si correpti, ut
sanum rectumqve sapiant, resistunt contumaciter, suaqve pestifera
& mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt,
heretici fiunt &, foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis.
Citantur hæc verba & in Corpore Canonico causa 24 qvæst.
2. c. 31. Idem lib. 4 de Baptismo contra Donatistas c. 16:
Constituamus, inquit, *duos aliqvos isto modo, unum eorum, verbigratiâ,*
id sentire de Christo, qvod Photinus opinatus est, & in ejus heresi baptizari
extra Ecclesiæ Catholicæ communionem: alium verò hoc idem sentire, sed
in Catholicâ baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam fidem. Istum
nondum hereticum dico, nisi, manifestatâ sibi doctrinâ, Catholicæ fidei resistere
maluerit, & illud, qvod tenebat, elegerit, qvod antequam fiat, manife-
stum est illum, qui foris baptizatus est, esse pejorem. Maximus Tauri-
nensis homil: in ramis palmarum, de vestimentis Christi à mi-
litibus divisis disserens: *Vestimenta*, ait, *esse puto prophetias vel*
scripturarum cœlestium lectiones, — qvas — perversi heretici — pro
suâ sibi dividunt voluntate. Cyrillus Alexandrinus Epist. ad Pro-
clum, qvæ inserta est & Collationi V. Concilij V. Oecu-
menici: *Sicut diuturnæ passiones difficiliores ad medicandum existunt,*
vel forsitan etiam hoc omninò abnegant: sic & anima ægrotans perverso-
rum intellectuum & dogmatum putredine insanabilem habet passionem.
Claudianus Mamertus, Presbyter Viennensis, lib. 1 de statu
animæ c. 1: *Illud multò maximũ & longè periculosius est crimẽ, qvod Ca-*
tholicæ sanctitati opiniones inimicas stultè concipiũt, vanè proferunt, superbè
adstruunt, cum temeritate scribunt, cum intentione defendunt. Et qvoni-
am humanitus per imprudentiam lapsi sunt, eligunt audaciæ culpam per vi-
vaci obstinatione defendere, ne videantur potuisse peccare. Leo Magnus
Epist: 10 ad Flavianum: *Quid iniqvius est, qvàm impia sapere & sa-*
pientioribus doctioribusq́; non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt,

qvi cum ad cognoſcendam veritatem aliqvo impediuntur obſcuro, non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas literas, nec ad Evangelicas autoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt: & ideò magiſtri erroris exiſtunt, qvia veritatis diſcipuli non fuerunt. Vigilius l. 2 contra Eutychen, de hæreſibus loquens: *Origo,* inquit, *cunctarum impietatum hæc eſt, dum cœleſtium dictorum virtus, vitio malæ intelligentiæ temerata, non ſecundum qvalitatem ſui ſenſus perpenditur, ſed in alias res pro arbitrio legentis, ſecus qvàm veri poſtulat ratio, derivatur.* Johannes Archiepiſcopus & Patriarcha Romanus Epiſtolâ ad Juſtinianum l. 7 C. Juſtinianei de ſummâ Trinitat: *Obduratum eſt cor eorum* (hæreticorum,) *ut non intelligerent.* Sed & Juſtinianus ipſe l. 2 C. eodem titulo hæreſin *obſtinatioris animi dementiam appellat.* Et Facundus lib. 10 pro defenſ: trium capitulorum Concilii Chalcedonenſis c. 2: *Cum omnes,* inquit, *offendamus in multis, cur non omnes ſumus hæretici, niſi quia non offenſio, ſed pertinax offenſionis defenſio facit hæreticum?* Idem repetit lib. 12 c. 1 ſcribens: *Scire debemus, qvod hæreticum non faciat ignorantia, qvæ doctrinæ veritatis contumax non eſt, ſed potius obſtinata defenſio falſitatis.* Et poſteà ait: *Non eſt hæreſis dicenda, niſi contradictio ſuperborum pervicax, quæ ſibi, ne aliud ſapiat, interdicit, & admonita contemnit acquieſcere veritati. Illa magis contumaciter ab Eccleſiâ ſeparari deligit, vel in eâ doloſè latere, qvàm pravam mutare ſententiam. Sed ignorantes in eo diſcernimus à doloſis, quia nec probantur ſufficienter aliqvando correpti pro his, qvæ minus intelligunt, nec ſuis rationibus occultis corrumpunt facilium mentes, ſed libere ſolent & ſimpliciter aperire, qvid ſentiunt.* Deniq; lib. adv: Mocianum: *Hanc reverentiam ſemper Eccleſia detulit in gremio pacis ſuæ atq; honore defunctis, ut non ſolùm eos, qvi fortè in talibus qvæſtionibus per ignorantiam humanæ infirmitatis erraſſent, verùm nec ipſa eorum dicta, ſicut hæreticorum ſub anathemate condemnaret. Hæreticum non humanæ infirmitatis ignorantia, ſed pervicacia facit.* Beda in c. 2 prioris Epiſtolæ Petri: *Qvæ ſecta Latinè, Græcè dicitur hæreſis, cum quis ſtultâ obſtinatione errorem, qvem ſemel cœpit, ſemper ſectari nullatenus ceſſat. Qvod hæreticorum proprium eſſe qvis neſciat.* Petrus Damiani lib. 1 Epiſt. 13: *Hæreticum non omnis error, ſed pervicax obſtinatio facit; nec omnes hæretici ſunt, qvi opinantur errorem, ſed qui pertinaciter & audacter prædicant falſitatem.*

Et

Et Goffridus, Abbas Vindocinensis, Tract. de ordinat. Epi-
scoporum: *Sciendum est, qvod ille maximè & magis propriè hæreti-*
cus nominatur, qui fidem Christi, qvam accepit, obstinato animo impugna-
re videtur.

XLIII. Porrò cum omnis electio finem aliquem ha-
beat præstitutum, dubium non est, quin & hæretici certum
qvendam finem sibi præfixum habeant, cujus gratiâ à Ca-
tholico tramite desciscant, qvo finem istum conseqvantur.
Ad persecutionem verò sui nihil promovere potest qven-
quam, nisi speciem habeat boni. Bonum enim est, *qvod*
omnia appetunt, teste etiam Aristotele l. 1 Ethic. c. 1. Bo-
num autem illud dicitur, quod aut est, aut videtur. Hacte-
nus enim nullum hic discrimen est, sicut idem Philosophus
observat l. 2. Physic. c. 3 & 5 Met. c. 2 his verbis: *Id, cujus*
gratiâ, debet esse optimum & cæterorum finis. διαφερέτω δὲ
μηδὲν αὐτὸ εἰπεῖν ἀγαθὸν, ἢ φαινόμενον ἀγαθόν, *nihil autem in-*
terest, utrum finis sit reverà bonus, an videatur saltem bo-
nus. Nam & sicarii, latrones, parricidæ, aliiq; seqvuntur
quiddam, quod ipsis, licet errore ductis, bonum videtur, ve-
luti lucrum, vindictam, aut simile qvodpiam. Jam dubium
non est, qvin hæresis pro fine non habeat, nisi bonum φαινό-
μενον sive apparens. Est autem hoc æquè ac verum bonum
triplex. Uti hoc aut honestum est, aut utile, aut jucundũ:
ita illud speciem habet aut honestatis, ut si qvis gloriæ avi-
dus velit videri justus aut sapiens: aut utilitatis, quam quæ-
runt avari turpi lucro inhiantes: aut jucunditatis, quam se-
ctantur, qui vitiorum illecebris se dedunt & lenocinijs cupi-
ditatum. Hæc omnia speciem quidem habent boni aut
honesti, aut utilis, aut jucundi, reverà tamen ejusmodi non
sunt. Non enim videri justum honestum est, sed esse, nec
reverà utile quid aut jucundum dici potest, nisi unà sit & ho-
nestum.

nestum. Unde & Aristoteles voluptatem corporis in bonis φαινομένοις numerat lib. de animal: motu c. 6. Hujusmodi bona pro fine semper habent Sophistæ. Omnes enim gloriæ quadam ducuntur cupiditate, eò cuncta, quantum in ipsis est, dirigentes, ut videantur sapientes, etiamsi nihil minus sint, quàm sapientes. ὡς νοῦν ἔχοντες διδάσκαλοι τῶν ἄλλων ἀξιοῦσι γενέσθαι, ait de iis Isocrates in Orat. adv: illos: *Tanquam sapientes aliorum præceptores esse volunt.* Et Plato in Sophistâ: τὸν μὲν που σοφὸν ἀδύνατον, ἐπείπερ οὐκ εἰδότα αὐτὸν ἔθεμεν. μιμητὴς δ' ὢν τοῦ σοφοῦ δηλονότι παρωνύμιον αὐτοῦ τι λήψεται, *Sapientē* (Sophistam) *vocare non licet, quandoquidem ignorantē illum posuimus. Quoniam verò æmulus est sapientis, cognomentum aliquod illius simile inde sortitur.* Deniq; Aristoteles lib. Sophist. Elench. c. 1 §. 6, Sophisticam, ait, φαινομένην esse σοφίαν, ἀλλ' οὐκ οὖσαν, *apparentem sapientiam, cum reverà non sit.* Unde & Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum de Aristotele: *Sophisticam quandam decipiendi artē pronunciat, ut quæ totum sapientiæ officiū probabiliter auferat, & profiteatur sapientiam, in quâ non est versata, nec in eâ studium posuit.* Vendicat autem sibi sapientiam Sophista ostentationis aut lucri, vel etiam utriusq; causâ. Ostentationis rursum meminit Clemens Alexandrinus l. c. ita de fine artis Sophisticæ scribens: τέλος γὰρ αὐτῆς ἡ ἔκπληξις, *finis ejus est obstupefactio & deductio ad admirationē.* Quo fine & pompaticos Sophistæ jactāt sermones & phaleratos, ut sensus audientiū eò facilius in modū tibiæ dulce canentis demulceāt. Indeq; & ab aliis passim reprehendūtur, ὅτι ἐν τοῖς ὀνόμασι σοφίζονται, καὶ οὐκ ἐν τοῖς νοήμασιν, *quod in verbis, non in sensibus animorum sapientiæ suæ acumen quærant,* prout loquitur de iis Xenophon lib. de venatione, qui & lucri, quod spectant illi, ibidē mentionē injicit: Οἱ σοφισταὶ, inquit, ἐπὶ τῷ ἐξαπατᾶν λέγουσι καὶ γράφουσιν, ἐπὶ τῷ ἑαυτῶν κέρδει, καὶ οὐδένα οὐδὲν

ὠφελοῦ-

ὠφελῦσιν, *Sophistæ ad fallendum & proferunt & scribunt sua lu-*
cri sui causa, nec quidquam ulli hominum prosunt. Unde &
passimSophistæ definiuntur, qui sapientiam vel Philosophiã au-
ditoribus suis vendunt. Quo spectat locus ille Socratis ex Episto-
lâ, inter Socraticas à Lucâ Holsteinio editas prima: ἀλλ᾽ ὥσπερ τοὺς
σοφιστὰς καὶ Σωκράτην φαίνῃ ὑπονοεῖν καπελμπράτην τινὰ εἶναι παιδείας,
Verum tu, uti Sophistas, ita & Socratem venalem doctrinarum
mercaturam facere ducis. Quisq; eorum, ait etiam Plato, *qui*
acceptâ mercede homines erudiunt, τῶν μισθαρνούντων ἰδιωτῶν,
quos quidem Sophistas & æmulos artium appellant, οὓς δὴ οὗτοι
σοφιστὰς καλοῦσι, καὶ ἀντιτέχνους, *nihil aliud docendum putat, quàm*
multorum sententias, in quibus consentiunt, quoties congregã-
tur, atq; hanc sapientiam vocant. Hæc ille Dialogo 6 de Re-
publ. Et in Theage de Prodico Chio, Gorgiâ Leontino &
Polo Agrigantino, antiquis illis Sophistis, testatur, quod *in ur-*
bes venientes nobilissimos & ditissimos quosq; ad se allexerint
atq; ingens pretium ab iis poposcerint, ut artes suas ipsos doce-
rent. Nam & Diodorus de Georgiâ Leontino testatur, quod
procentũ minis, fortè drachmis, docuerit, quod ipsũ & de Pro-
tagorâ memorat Laërtius. Prodici Chij autem in ipsius Pla-
tonis Cratylo ἡ πεντηκοντάδραχμος ἐπίδειξις refertur. Inde por-
rò & Speusippus in definitionibus Sophistam esse dicit *juvenum*
nobilium atq; divitum mercenarium venatorium. Et Alcino-
ûs lib: de doctrinâ Platonis cap. 34 inter alia in eo qvoq; differ-
re dicit à Philosopho Sophistam, ὅτι μισθαρνίᾳ τῶν νέων, καὶ μᾶλ-
λον νομίζεσθαι βούλεσθαι ἢ εἶναι καλὸς καὶ ἀγαθὸς, *quod hic mercede*
doceat juvenes & videri magis, quã esse bonus honestusq; velit.
Maximus Tyrius qvoq; dissert. Philosophicâ 17 Sophistas vocat
καπηλεύοντες τὰ μαθήματα καὶ ἀπεμπολοῦντες τοῖς δεομένοις, *cauponãtes*
disciplinas ac mercede eas cuilibet vendẽtes Deniq; & Cicero l.
2. Qvæstionũ Academicarũ de Anaxagorâ loqvens: *At quis,*
inquit, *est hic? Num Sophistes? Sic enim appellãtur hi, qui ostẽ-*

 tatio-

rationis aut quæstus gratiâ philosophantur. Et Aristoteles rursum l. c: *Sophista*, inquit, *est, qui quæstum captat,* χρηματιστὴς, *ex eâ sapientiâ, quæ videtur esse, nec est.* Seneca insuper Epist: 29: *Illos mihi Circulatores Sophistas, qui Philosophiam honestius neglexissent, quam vendunt, in faciem ingeret.* Sed & voluptatibus indulsisse leguntur Sophistæ. De Aristippo Phanias Peripateticus apud Laërtium lib. 2 in vitâ ejus scribit, quod primus ex Socraticis more Sophistarum mercedem exegerit: οὗτος σοφιστεύσας πρῶτος τῶν Σωκρατικῶν μισθοὺς εἰσεπράξατο. Ast de hoc ipso refert Läertius l. c. quod delicijs ac illecebris voluptatũ in tantũ fuerit intentus, ut etiã Timõ eũ, tanquã delicijs diffluentẽ proscrit his verbis: οἷάτ' Ἀριστίππου τρυφερὴ φύσις ἀμφαφόωντος ψεύδη, *Qualeq́z Aristippi delicatũ ingeniũ contrectantis falsa. Nam & lautioribus ac delicatioribus cibis utebatur, & consvetudinem cum scortis habebat, etiã ipsi Laide, famosissimâ illâ meretrice Corinthiâ,* quod ipsum memoriæ prodidit & Cicero in Epistolâ quadam, nec non Athenæus lib. 11, Lactantius item l. 3 c. 15, Theodoretus serm. 12 de virtute activâ & alij. Qvin *voluptatem pro fine bonorum habebat, bonam eam semper esse perhibens, etiamsi à turpissimis proveniret rebus,* quod & ipsum ex Hippoboto de sectis narrat Läertius. Erant Galeni ætate, qui ex sectâ Menodoti Empirici clamabant, scopum Medici esse aut ἔνδοξον, aut πόριμον, *aut gloriam, aut lucrum.* Hoc refutat Galenus lib. 9 de placitis Hippocratis & Platonis: De Sophistis autem rectè dicitur utrumq;, ijsque in non paucis etiam jungitur tertium, illecebræ scil. voluptatis. Jam, ut antè qvoq; diximus, Sophistis sunt ἀντίστροφοι hæretici. Dubium ergo non est, quin & illi similem, quo collineent, scopum habeant præfinitum. Et sanè *speciem sapientiæ* habere doctrinas eorum apertè testatur Apostolus Col. 2, 23, qvemadmodum & *inflatos* eos vocat, seu gloriæ cupidos, & *insanientes circa quæstiones*

nes ac pugnas de verbis. 1 Tim: 6, 4. Ob lucri autem cupiditatem de ijsdem subseqvente v. 5 ait, quod *qvæstui habeant pietatem*, νομίζοντες πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν. Qvin & hanc ipsam ob causam *cauponibus, vinum torrumpentibus*, eos comparat citato jam ante qvoq; loco ex secundo capite posterioris ad Corinth: v. 17. Quid enim eos ad agendum sic permovet, nisi lucri cupido? *Hoc est cauponari*, ait Chrysostomus ad h. l. *ubi qvis adulterat vinum, ubi qvis pecuniâ vendit, qvod gratis donari oportuit, qvandoqvidem hic mihi videtur illos taxare de qvæstu.* Hieronymus qvoq; hinc ad Hedybiam qvæst: 11. καπηλεύοντας vertit *venundantes & venditantes.* Sed & Petrus inde hæreticos 2 Epist: 2, 3 *per avaritiam*, ait, *sermonibus fictis negotiari*, ἐμπορεύεσθαι, *simplices*, ductâ metaphorâ à mercatoribus, qui blando emptores sermone illiciunt, ut carius res suas vendant, qvæstui vacantes. Et vers: 15. *seqvi* eos inquit *viam Baalami filij Bosor, qvi mercedem inquitatis amavit.* Sed & Judas v: 16 de ijsdem scribit, quod personas mirentur sive colant ὠφελείας χάριν, *propter lucra*, ut Syrus reddidit, vel, *inhiantes lucro.* Deniq; ob luxum & voluptatem Paulus rursum *servire* eos dicit *ventri suo* Rom: 16, 18 atque hunc *Deum suum colere* Phil. 3, 19. Petrus autem & Judas incedere κατὰ τὰς ἐπιθυμίας, *in cupiditatibus suis*, ille quidem 2 Epist: 3, 3; hic autem eo ipso, quem paulò antè laudavimus, loco.

XLIV. Ulterius etiam prisci rursus Ecclesiæ Doctores hæc passim in hæreticis perstringunt. Ob vanam, quam aucupantur ex apparenti suâ sapientiâ, gloriam ac ostentationem vellicat eos Justinus Philosophus & Martyr, aut qvicunq; Autor est quæstionum ad orthodoxos, qvæst: 4, ubi disertè ijs φιλοδοξίαν tribuit sive *gloriæ cupiditatem, cujus captandæ ergò nova dogmata procudant.* Irenæus lib. 1 c. 1 de ijsdem ait, qvod *multos*

multos evertant προφάσει γνώσεως. *scientia, qua se ostentant, prætextu.* Et l. 2 c. 54 memorat, qvosdam illorum se meliores vocasse eo, per qvem non tantum visibilia hæc, sed & invisibilia facta sint. Clemens Alexandrinus lib. 7 Stromatum: *Gloria tenentur desiderio,* δόξης ἐπιθυμοῦσιν, *atq; ea, qua ex naturâ suâ conveniūt sermonibus divinitus inspiratis, tradita à beatis Apostolis & Magistris, sua sponte fallaci simulatione sapientiæ corrumpunt,* σοφίζονται Et posteà: *Non oportet unqvam, sicut faciunt, qui hæreses seqvuntur, adulterare veritatem, neq; furari regulam Ecclesiæ propriæ gloriæ inserviendo,* ταῖς φιλοδοξίαις χαριζομένους, *in fraudem propinqvorum, qvos omninò, ut ament veritatem atq; amplectantur, docere oportet.* Tertullianus lib. de præscript. c. 41: *Omnes tument, omnes sapientiam pollicentur. Antè sunt perfecti Catechumeni, qvàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ qvàm procaces, qvæ audeant docere, contendere.* Cyprianus qvoq; fastum hæreticis tribuit. *Vnde,* inqvit Epist: ad Florentium Papianum, *schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, nisi dum Episcopus, qvi unus est, & Ecclesiæ præest, superbâ quorundam præsumptione contemnitur?* Et in Epist: ad Rogatianum. *Hæreseων initium, ut præpositum superbo tumore contemnant,* qvia scilicet soli videri præ alijs cupiunt. Eusebius l. 4 c. 21. de *Thebule* qvodam memorat, qvod *Simeone, filio Cleophæ, Hierosolymitanorum Episcopo, defuncto, postqvam sedem istam gloriæ cupidus affectasset, sed repulsam tulisset, hujus impatiens Ecclesiam Hierosolymitanam, qvæ, qvod hactenus ab hæresi immunis fuerat, Virgo dicebatur, erroris labe secretò inficere fuerit exorsus.* Hilarius Pictaviensis in Psalm: 138: *Dolosa doctrina est hæreticorum: sub nomine Dei blasphema, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax. Qvoniã in animo & cogitatione solum contentionis studium persistit, nihil ad salutem homi-*

num laborant, nihil ad spem acquirunt, nihil pacificum cogitant: ut omnibus his in contentionibus labor sit & pugnam meditentur. Unde verò hoc nisi ex gloriæ cupiditate, quam ut consequantur, magnam sapientiam spirant, atque veritatem à se esse prætendunt? Epiphanius de Carpocratianis hæresi 27 num: 2: *Miseri isti tàm intolerabili arrogantiâ sunt, ut se vel ipsimet Iesu anteponendos esse existiment. Alij autem eorum non quidem Iesu, sed Petro, Andreæ, Paulo, cæteris Apostolis præstare sese dicunt cùm abundantiâ quadam scientiæ,* διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς γνώσεως, *tùm quod progressiones varias ac decursus longè ijs cumulatius obierint.* Augustinus lib. contra Epistolam Fundamenti Manichæi c. 6: *Hæreticorum omnium mater est superbia.* Theodoretus in Epist. ad Romanos primum caput: *Arrogantes sunt* (hæretici,) *qui cum nullam occasionem habeant, ut de se magnificè sentiant, sine causâ tamen intumescunt.* Et lib. 4 hæreticarum fabularum c. 3 de Eunomio refert, illum eousq; arrogantiæ fuisse progressum, ut dicere auderet, *se nihil ex rebus divinis ignorare, quin ipsam etiã Dei essentiam exactè se nosse eandemq; de Deo notitiam habere, quam Deus ipse habet de seipso.* De Eudoxio quoq; ibidem ait, quod fuerit κενῇ δόξῃ δουλευόμενος, *vanæ gloriæ serviens*, indeq; nomen suum imponere studuerit omnibus, qui eadem cum ipso sentirent, adeò ut hinc Ariani, quorum blasphemias ille fovebat, etiam Eudoxiani fuerint appellati. Isidorus Pelusiota lib: 4 Epist: 55 prolixè docet, φιλαργίαν multis hæresibus originem dedisse. Et subdit: *Si hæc expelleretur ex rebus humanis, spes bona esset, fore, ut omnes in divinum* (Evangelij) *præconium unanimi & orthodoxo consensu,* ὁμοφώνως καὶ ὀρθοδόξως, *convenirent.* Et subseq: Epist: 56: *Ex ambitione, ait, aut anticipatâ aliquâ opinione, duabus expugnatu difficillimis affectionibus, hæreses natas esse arbitror.* Prosper

 Aqui-

Aquitanicus lib: 3 de vitâ contemplativâ c. 4: *De superbiâ nascuntur hæreses.* Deniq; Gregorius Magnus l. 6 Moral: in Jobum c. 3: *Hæretici esse aliquid quò veritatis soliditatẽ non tenẽt, eò nonnunquam student, ut loquaciores appareant: & contra Catholicã fidẽ quasi de doctrina scientiâ gloriantur.* Et c. 4: *Hæretici, quia se sapientes esse arbitrantur, verba contra Catholicos irrisionis proferũt.* Porrò c. 20: Hæretici *alta sapere appetũt, & quod capere utcunq; nõ possunt, perfectè se scire gloriãtur.* Ulterius avaritiam hæreticorũ notat Ignatius in Epistolâ ad Magnesianos, in quâ hæreticos vocat χριστεμπόρους, *sub Christi nomine mercatum exercentes*; item χρηματολαίλαπες, *violentissimos pecuniarum raptores* sive *vortices.* λαῖλαψ enim propriè est πνεῦμα βίαιον καὶ εἰλούμενον κάτωθεν ἄνω, *spiritus violentus, qui inferius sursum versus repentè convolvitur.* Hesychius autem eum describit τὴν ἀνέμου συστροφὴν μετ' ὑετοῦ, *venti vorticem cum imbre.* Cui consentit & Suidas, in Lexico ita scribens: λαῖλαψ ὁ μετ' ἀνέμων ὄμβρος καὶ σκότος, *cũ ventis imber est & caligo.* Irenæus lib. 1. adv. hæreses c. 1 ait, hæreticos palàm mysteria sua nõ tradere omnibus, sed ijs solùm, qui ingentem pro ijs mercedem pendere queant. *Nec enim*, inquit, *jam hæc ad ea accedunt, de quibus Dominus noster dixit: Gratis accepistis, gratis date: sed semota sunt ac prodigiosa & profunda mysteria, quæq; non sine magno labore ab hominibus mentiendi studiosis comparentur.* Et l. 4 c. 44 hæreticos, ait, esse *malæ sententiæ homines, electos & sibi placentes, scindentesq; Ecclesiam aut vanæ gloriæ, aut quæstus gratiâ.* Athanasius Orat: 1 contra Arianos de Meletianis scribit, quod adversus veritatem cum alijs conspirârint διὰ τὴν προστασίαν καὶ μανίαν ταῖς φιλαργυρίαις, *partim ambitionis, partim insano avaritiæ studio.* Gregorius Nazianzenus hæreticos vocat χριστοκαπήλους, hoc est, tales, *qui Christo ad turpe lucrum abutuntur.* Augustinus lib: de util: credendi c. 1 hæreticos

dicit eos, qvi alicujus temporalis commodi & maximæ gloriæ principatusq; sui gratiâ falsas opiniones vel gignunt, vel seqvũ-tur: atq; ab ijs distingvit homines illis credentes, & imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusos. Isidorus Pelusiota lib. 1 Epist: 106: In columbæ specie Spiritus sanctus apparuit, eos, qvi ex Deo, cauponum ritu, qvæstum captant, insectans. Gregorius Magnus lib: 20 Moralium in Jobum c. 11: Hæreticos in nonnullis erroribus suis inanis gloriæ appetitus possidet, eosq; honoris ambitus captivos tenet: & plerumq; per ipsa, qvæ loqvuntur, nihil aliud, qvàm terrena lucra appetunt. Et c. 12: Plerumq; hæretici sola in verbis suis exteriora lucra sectantur: nec ignorant, qvia perversa astruunt, sed erroris prædicamenta non deserunt, dum sumptus percipere qvasi doctorum volunt: benè de eis sancti viri nunc voce dicitur: Et radix juniperorum erat cibus eorum: qvia dum totis mentis suæ sensibus avaritiam cogitant, qvasi eo alimento vescuntur, de qvo nasci procul dubio peccatorum seqventium punctiones solent. Denique luxuriam ac libidinem illorum accusat rursum Irenæus l. 1 c. 1: Qvemadmodum aurum, ait, in cœno positum pulchritudinem suam non amittit, sed naturam suam incolumem servat, nec detrimenti qvidpiam ei à cœno afferri potest: eodem modo sese quoq; (hæretici), qvibuslibet tandem materialibus in actionibus versentur, nihil hinc lædi, nec spiritualis essentiæ jacturam facere asserunt. Qvò etiam fit, ut eorum perfectissimi qviq; omnia ea, qvæ legis interdicto prohibentur, & de qvibus affirmat Scriptura, qvod qvi hæc faciunt, regni Dei hæreditatem minimè conseqventur, sine ullo metu perpetrent. Nam & ea, qvæ idolis immolata sunt, liberè ac sine ullo discrimine edunt, nec ijs inqvinari se arbitrantur: atq; ad omnia gentilium festa & oblectamenta, qvæ ad idolorum honorem cultumq; celebrantur, primi confluunt: adeò ut nonnulli eorum, ne à sangvinario qvidem & funesto, Deoq; & hominibus inviso spectaculo, in quo cum suis dimicatur, vel gladiatores inter se pugnant, abstinendum sibi esse putent. Sunt etiam, qvi, carnis voluptatibus ad satietatem usq; obseqventes, carnalia carnalibus, & spiritualia spiritualibus persolvi ajunt. Qvin etiam ipsi partim occultè cum mulierculis ijs, qvas in doctrinâ suâ erudiunt, stupri commercium habent, qvemadmodum ipsæ sæpè à qvibusdam ipsorum circumventæ, atq; in fraudem impulsæ, ac posteà ad Dei Ecclesiam versæ, cum reliqvo suo errore hoc qvoq; confessæ sunt: partim apertè perfrictâq; fronte, qvascunq; adamarint mulieres, eas à viris avulsas matrimonio sibi copulant. Alij rursus cum honestè primùm, velut cum sororibus habitare

habitare se finxissent, progrediente tempore deprehensa fraus est, gravidâ nimirum factâ à fratre sorore. *Ac pleraq; alia impia & execranda flagitia designantes nos quidem, qui Dei metu cavemus, ne vel cogitatione tenus & sermone peccemus, ut indoctos & prorsus ignaros insectantur: seipsos autem mirificè extollunt ac perfectos appellant, & semina electionis.* Idem de Simonianis lib: 1 c. 20: *Mystici horum sacerdotes libidinosè vivunt. — Amatoria quoq; & agogima — & quæcunq; sunt alia, apud eos studiosè exercentur.* Quod de iisdem etiam memorat Theodoretus lib: 1. hæret: fabularum his verbis: *Qui secta Simonis erant, audacter se omni libidini & intemperantiæ dedebant omniq; præstigiarum genere utebantur, amatoria quadam & pellicentia machinantes.* De MARCO qvoq;, unde Marcosiarum secta, iterũ Irenæus lib: 1 c. 9: *Potissimum circa mulieres studium suum & operam impendit, easq; præsertim, quæ eleganter cultæ sunt & purpuratæ, maximisq; opibus præditæ: quas persæpè ad se allicere studens, assentabundè ita alloquitur: Libet tibi gratiam meam impertire, qvandoquidem universorum Pater Angelum tuum perpetuò cernit ante faciem suam. Locus autem magnitudinis in nobis situs est. Oportet nos unum effici Accipe primum ex me & per me gratiam. Adorna te ipsam, ut sponsa sponsum exspectãs, ut sis, qvod ego & ego vicissim, quod tu.* De CARPOCRATIANIS jam suprà aliqvid ex Irenæo & Damasceno allatum. Scribit verò de iisdem & Clemens Alexandrinus lib. 3 Stromatum, quod *ad cœnam convenientes viri simul & mulieres, lumine amoto, commisceri fuerint soliti, qvomodo & cum qvibus voluissent.* Vocat eos & FLORIANOS, atq; paria de iis tradit Philastrius lib: de hæresib: sect. 3 n. 10: *Omnem resurrectionẽ,* inquit, *in filiorũ procreatione nefandi cœtus existimant consistere, ut in Ecclesiâ suâ post occasum Solis, lucernis extinctis, misceri cum mulieribus non dubitaverint, legis præceptum implere putantes.* Porrò & APELLEM *desertorem continentiæ* vocat *& carne lapsum* dicit Tertullianus lib. de præscript: MARCIONEM autem *ob stuprum, Virgini illatum, Ecclesiâ motum fuisse* asserit. Sed & HERMOGENI objicit, qvod *assiduè nupserit & totus adulter fuerit prædicatione & carne.* MONTANUM quoq; sic describit Apollonius apud Eusebium l. 5 c. 16, qvod *mulieribus, qvas ut Prophetissas circumducebat, à maritis suis abstractis, ad propriam libidinem fuerit usus.* Cyprianus insuper Epist: 18 qvosdam SUÆ ÆTATIS hæreticos *stupratores* vocat *virginum, & matrimoniorum corruptores ac*

depo-

depopulatores. Epiphanius autẽ hæresi 75, qvæ est Aërianorũ, num. 1 hæreses ait *aut gloriæ cupiditate, aut arrogantiâ, aut voluptatum libidine, aut similibus aliis de causis fuisse introductas.* Et hæresi 66 n: 2 de SCYTHIANO, Manichæi dogmatis auctore, scribit: *Hic initiò divitiis inflatus & aromatũ cæterarumq; ex Indiâ opum copiâ cum Hypselen, Thebaidu oppidum, venisset, ibiq; perditã quandam mulierculam invenisset eleganti corporis specie, pro eo ac stolidus erat, stupore affectus, è lupanari, ubi tum meretriciam exercebat, abducit, & ad eam adhærescens in libertatem assertam sibi in matrimonium adjunxit. Deinde longô post tempore homo nefarius, pro deliciis minimè se continens, & in otio degens, ac sceleribus assvetus, novi aliquid in orbem introducere nimio ex luxu in animum induxit.* Chrysostomus homil 7. in Johannem & PAULUM SAMOSATENUM, *ut mulieri cuidam rem gratam faceret, salutem suam contempsisse, atq; in hæresin incidisse* scribit. Hieronymus verò ad caput tertium Jeremiæ: *Nulla hæresis nisi propter gulam ventremq; constituitur, ut seducat mulierculas, oneratas peccatis.* Item ad caput 23 ejusdem Prophetæ: *Contemplemur hæreticos, qvomodo, semel desperantes salutem, gulæ se tradant & deliciis, vescantur carne frequenter, adeant balnea, musco fragrent, ungventis variis delibuti qværant corporum pulchritudinem.* Qvodsi autem aliqvando foris castitatem præ se ferunt ac temperantiam, (nam & Hilarius in Psalmum 64 *sicco panis cibo* vixisse hæreticorum aliquos testatur) simulatè tamen potius ita agunt, qvàm ex animo. Unde & Apostolus rursum ait eos, dum continentiam & abstinentiam simulant, *loqui mendacium in hypocrisi,* 1 Tim. 4, 2. Cujus rei exemplum habemus in ENCRATITIS. Sic enim de illis Epiphanius hær: 47. n. 3: *Qvod verò continentiam gloriosè jactitant, lubricum est illorum qvidem ac periculi plenum facinus. Nam inter mulierculas versantur assiduè, qvas undecunq; pelliciunt, cum eis iter faciunt ac communiter vivunt, earumq; ministeriis utuntur. Qvare cum à veritate longius absint, nihil præter ementitam illius speciem ostentant: vim ipsam sinceræ pietatis abnegantes. Difficile est,* inquit & Hieronymus ad caput nonũ Oseæ, *hæreticum reperire, qui diligat castitatem. Non qvod eam proferre desistat in labiis, sed qvod non servet in conscientiâ, aliud loqvens & aliud faciens.*

XLV. Perinde autem hîc est, sive quis ob aliqvam, ex prædictis, causam, dogma qvodpiam Ecclesiæ Catholicæ contrarium primum excogitet, sive ab alijs confictum arripiat atq; propugnet. Uterq; enim hæretici appellatione insignitur. *Hæreses dictæ Græcâ voce ex interpretatione electionis, qvâ qvis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur,* ait Tertullianus lib. de præscript. adv. hæreticos c. 6. Et c. 37: *Unde extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, qvam unusquisq; de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit?* Ita distingvit & Augustinus lib: de peccato Originali c. 22 Tom. VII. Operum: *Hæretici,* inquit, *aut sunt perversitatis vel dogmatis perversi autores; aut certè si autores non sunt, sed hoc ab alijs didicerunt, assertores tamen sunt atq; doctores, per qvos id latius reptat & crescit, & verbis & literis ipsorum, & competentibus indicijs, & famâ ex his omnibus surgente & crebrescente.* Solent tamen priores discriminis ergò appellari & Hæresiarchæ, qvamvis interdum etiam illi, qui aliorum perversa dogmata pertinaciter propugnant & defendunt, hoc nomine venire soleant, si consortes aliqvos ac complices habeant, qui eos veluti duces & antesignanos sequantur. Quâ ratione & hetæriarcha olim apud Romanos dicebatur dux, qui habebat sub se hetærias, id est, cohortes qvasdam, quæ non constabant ex Romano milite, sed ex socijs & auxiliaribus Romanorum. Qvo sensu Cantacuzenus lib. 2 c. 6: *In hostem,* inquit, *lento passu & ordine, Exotrocho magno Heræriarcha ducente, procedebant.* Et Codinus de Offic: aulæ Constantinopol: Δέχεται δὲ οὗτος (ὁ μέγας ἑταιρειάρχης) καὶ τοὺς προσερχομένους φυγάδας, διὸ καὶ ἑταιρειάρχης καλεῖται, ὡς τοὺς ἑταίρους ἤτοι τοὺς φίλους δεχόμενος, *Suscipit verò ille, magnus hetæriarcha, & fugitivos. Ex qvo & hetæriarcha vocatur, ut qvi* ἑταίρους, id est, *socios sive amicos suscipiat.* Ita Urbanus, Episcopus Romanus, causâ 24 qvæst. 3, cap: Qvi aliorum: *Qvi aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qvi errant: quia non solum errat, sed etiam alijs offendicula*

erroris

erroris præparat & confirmat. Vnde quia Magister erroris est, non tantum hæreticus, sed etiam hæresiarcha dicendus est. Vid: & Hieronymus in c. 6 Mich:

XLVI. De cætero cavendum est, ne confestim ejusmodi, qualia hactenus descripsimus, dogmata ei impingantur, qui defendit qvidpiam, ex quo talia per conseqventiam elici possint, dummodò illa non prona nimis sit & cuivis obvia. Qvemadmodum enim qui principium aliqvod verum amplectitur, non è vestigio ea omnia probat, quæ inde à doctioribus per conseqventias deducuntur: ita & evenire potest, ut quis falsam aliqvam opinionē animo comprehensam teneat, nec tamen protinus rata habeat ea omnia, quæ perspicaciores falsæ isti opinioni connexa esse animadvertunt. Unde & accidit nonnunquam, ut quis contradicat sibi ipsi, & tamen id non advertat, sicuti Aristoteles & de Empedocle lib: 1 de Gen: & Corr: c. 1 ait, qvod contraria dixerit nō φαινομένοις solū, sed & sibi ipsi, dum asseruit *nullum elementum fieri ex alio*, & nihilominus *ex sphærâ seu conglobatione omnium rerum in unam massam* ea produxit. Non enim animadvertit, id sententiæ suæ repugnare. Nec est, quod qvis dicat, non esse id, quod colligitur, diversum ab eo, ex qvo colligitur, nisi modo proponendi. Id enim falsum est, cum posterius hoc rationem principij habeat, prius autem illud à principio isto sit derivatum. Hæc duo autem quis proponendi solùm modo diceret differre? Continet quidem principium id, quod ab illo pendet, virtute, ideo tamen è vestigio cum ipso idem non est, quemadmodum & Deus, primum τί ἐστι omnium rerum virtute continet omnia entia, adeò, ut hinc πέλαγος dicatur τῆς οὐσίας Gregorio Nazianzeno Orat: 38, sed ideò hæc omnia reapsè cum Deo idem non sunt. Solis qvoqve virtute vegetantur omnia, quæ vitæ vegetativæ sunt capacia,

pacia, nec tamen ilicò idem ſunt cum Sole. Quod ſi principia cum concluſionibus idem eſſent, & proponendi ſolùm modo differrent, tum demonſtrationes omnes eſſent petitiones τοῦ ἐν ἀρχῇ, utpote in qvibus idem probatur per idem. Et qui principium concedit, non poſſet non concedere concluſiones, quoad rem ipſam ſpectatas, etiamſi interventu mille ſyllogiſmorum inde eſſent deductæ. Deniq; qui principia novit, cognoſceret etiam concluſiones omnes, ſaltem qvoad rem, etiamſi quomodo proponendæ illæ ſint, ignoret. V. gr. Qvilibet ſimplex homo, qui principia novit Geometriæ, jam cognoſceret qvoad rem omnes illas concluſiones, qvas prolixâ operâ ex ijs Geometra deducit. Quæ omnia abſurda eſſe quivis facilè agnoſcet. Statuebat Cyprianus baptizatos ab hæreticis eſſe rebaptizandos, qvantumvis, quæ ad ſubſtantiam baptiſmi pertinent, omnia fuiſſent adhibita, ex quo ſeqvi omninò videtur, efficaciam baptiſmi pendere à dignitate miniſtri, quam in Donatiſtis, ceu hæreticam ſententiam, rejecit Eccleſia. Docebant enim illi ſancta tum eſſe ſacramenta, ſi per homines ſanctos darentur, quo nomine eos etiam Auguſtinus perſtringit in Pſalm; 10 ſcribens: *Non confidunt in Domino, qvi tunc eſſe dicunt ſancta ſacramenta, ſi per homines ſanctos dentur. -- -- Cogunt enim eos, qvi accipiunt ſacramenta ſpem ſuam in homine ponere, cujus cor videre non poſſunt: maledictus omnis, qvi ſpem ſuam ponit in homine.* Et lib: 3 contra literas Petiliani c. 50 ſcribit, ſtatuiſſe eos, *talem fieri eum, qui baptizatur, qvalis fuerit, à qvo baptizatur.* Cyprianum autem hoc dogma ſuum feciſſe affirmare non poſſumus. Quamvis enim & ipſe hæreticorũ baptiſmum repudiaret, ex alio tamen id faciebat capite, nempe qvod hæretici non haberent jus conferendi baptiſmũ, id eſt, amiſſis jam ordinibus ſacris, non eſſent verè Epiſcopi aut

Presby-

Presbyteri. Sic enim Basilius Epistolâ canonicâ 1 ad Amphilochiū canone 1, referens Cypriani aliorūq;, qui cū ipso faciebāt, opinionē de ijs, qui ab Ecclesiâ ad hæresin discesserant, & rationem commemorans, qvâ impulsi baptismū ab iis ministratum rejecerint, scribit: *Qvi autem abrupti sunt, Laici effecti neq; baptizandi, neq; ordinandi habebant potestatem. -- Idcircò eos, qvi ab ipsis ad Ecclesiam veniebant, tanqvam à Laicis baptizatos, jubebant Ecclesiæ baptismo expurgari.* Non negamus interim, haud facilè qvenqvam debere qvid, ceu certum, statuere, nisi expensis ante sufficienter etiam ijs, quæ cum illo, qvod statuit, cohærent. Vix enim temeritatis notam effugere potest, qvi secus agit. Unde & Bertramus, Hieracensis Episcopus, ejusmodi hominem *audacem & præsumptuosum* appellat; *hæreticum* tamen nominandum esse *negat*, in Epistolâ ad Alexium Calochetum.

XLVII. Multò magis adhuc cavendum, ne è vestigio pro hæretico habeatur, qui fortè incommodè de re aliquâ, ad Christianā religionem pertinente, loquitur, dummodò rectè sentiat. *De intelligentiâ enim hæresis, non de scripturâ est: & sensus, non sermo fit crimen*, ut benè Hilarius Pictaviensis lib. 2 de Trinit. Scilicet ut veritas sita est οὐκ ἐν ἤχῳ, μᾶλλον ἐν διανοίᾳ, ceu Gregorius Nazianzenus loquitur Epist. 26 ad Basilium, *non in sono, sed potius in sensu*: Ita & error non in verbis est, sed intelligentiâ. *In verbis*, ajunt Philosophi, *simus faciles, modò in rebus conveniamus.* Idem verò & Theologo est observandum. Nam, ut benè Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, δεῖ τὸν ἀληθείας κηδόμενον, οὐκ ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ φροντίδος τὴν φράσιν συνθεῖναι. πειρᾶσθαι δὲ ὀνομάζειν μόνον, ὡς δύναται, ὃ βούλεται. τοὺς γὰρ τῶν λέξεων ἐχομένους καὶ περὶ ταύτας ἀσχολουμένους διαδιδράσκει τὰ πράγματα, *Oportet unumqvemq; de veritate sollicitum dictionem non operosè vel curiosè admodum exstruere, sed potius conari, ut saltem, qvod intendit, qvemadmodum potest, enunciet. Eos enim, qui circa dictiones toti occupantur, res effugiunt.* Unde Hieronymus indigna-

batur se hæreticum appellari, qvod solum nomen ὑποστάσεως, de divinis personis usurpatum, respueret, utut de re ipsâ aliàs cum reliquis Catholicis Doctoribus idem sentiret. *Nunc*, inquit Epist: 57 ad Damasum, *prohdolor, post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum præsule & Campensibus novellum à me, homine Romano, nomen exigitur. Qvi qvæso ista Apostoli prodidere? qvis novus magister gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus, qvid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes ajunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio, qvid veneni in syllabis latet. - Clamamus, si qvis tres hypostases, aut tria enypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetetur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus, hæretici judicamur.* Rectius judicabat Athanasius. Cum enim videret quosdam inter Catholicos tres ὑποστάσεις, alios autem tria πρόσωπα dicere refugere, quod illi ὑπόστασιν nihil aliud, qvàm ȣσίαν esse arbitrarentur, hi autem personam nihil aliud, quàm certam quandam qvalitatum aut operationum conformationem esse putarent, de re ipsâ interim eos idem sentire, *utraq; parte leniter & humaniter accersitâ*, sic transegit negotium, *ut nominum usum ipsis concedens rebus eos constringeret*, τὰ ὀνόματα συγχωρήσας, συνδῆσαι τοῖς πράγμασι, ceu memorat de eo Gregorius Nazianzenus Oratione vigesimâ primâ. Nolumus tamen hoc ita accipi, quasi unicuiq; pro arbitratu suo semper & ubiq; etiam de mysterijs religionis nostræ loqui liceat. Retinenda enim ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, id est, *forma sanorum verborum*, jubente Apostolo 2 Tim: 1, 13, cum *conturbatus nominum usus etiam rerum ipsarum cognitionem soleat couturbare*, quemadmodum & Galenus observat lib. 3 Simpl. c. 12. Unde & alibi, videlicet 2. Tim. 2, 16, Apostolus: *Profanas*, inquit, *verborum novitates vita.* Καινοφωνίας enim legit Ambrosius, nec non Chrysostomus, alijq;. Et Hieronymus ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani: *Qvi persvadere mihi vult, qvod purè credat, purè & loqvatur.* Augustinus quoq; lib. 10. de civitate Dei cap. 23: *Liberis verbis*, inquit, *loqvuntur Philosophi,*

phi, nec in rebus, ad intelligendum difficillimis, offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis *autem ad certam regulam loqvi fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, qvæ his significantur, impiam gignat opinionem.* Regula autem hæc est modus loqvendi Scripturæ & Catholicæ Ecclesiæ usitatus. Illi sunt termini, de quibus & Gregorius Nazianzenus Orat: 26 de moderatione in disputationibus servandâ: *Divina*, ait, *contemplare: verum in terminis maneto. Loqvere, quæ sunt Spiritus, &, si possibile, nihil aliud.* Ἔχου τῶν συντρόφων ῥημάτων. ὁ λόγος ἔσω τῶν σοφωτέρων, *utere verbis consvetis,* sive à Catholicâ Ecclesiâ freqventatis: *ratio pertineat ad sapientiores.* Unde & Ammianus Marcellinus, utut gentilis Scriptor, meritò Constantiū reprehendit, qvod novis locutionibus confictis contētiones super iis excitaverit: *Christianā*, inquit l. 21 in fine, *religionem absolutam & simplicē anili superstitione confundens, in qvâ scrutandâ perplexius qvàm componendâ gravius excitavit dissidia plurima, qvæ progressu fusius aluit concertatione verborū: ut catervis antistitū jumentis publicis ultrò citroq; discurrentibus per synodos, qvas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium rei vehiculariæ succiderit nervos.* Pertinent qvoq; huc ista Auctoris Qvęstionum ex novo Testamento apud Augustinum qvæst. 43: *Nemo in hæresin ruit, nisi à nominū ratione discedens; simplices verò permanentes in ratione nominum, Catholicæ fidei adhæserunt. Ipsa enim simplicitas non aliter hoc advertit imperturbata, qvàm traditum est. Accedente autem tergiversatione, dum re benè & simpliciter posita commovent qvæstiones, non contenti credere, qvod sonant verba, indignū putantes, si non sibi addant aut demant, de traditione præcipitantur.* Hæc ille. Cui consentiens & Honorius Epistolâ ad Sergium Actione 12 Sextæ Synodi Universalis: *Nos secundum sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere, illa videlicet refutantes, qvæ novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare.* Deniq; & Corpus nostrum Doctrinæ artic. de Deo approbat verba Lutheri ex disputatione de duabus in Christo naturis: *Rectè docetur, in hâc causâ valere usum loqvendi in Scripturis & Patribus Orthodoxis servatum.*

XLVIII. Sed & hoc cavendum, ne quis, cum in cœtu aliquo opiniones, revera hæreticæ, à nonnullis disseminantur, integrum cœtum continuò pro hæretico habeat. Nempe, ut aliàs in genere in qvovis cœtu mali sunt permixti bonis, nec tamen

men ideò malitia, quæ ſedem in aliquibus fixit, toti iſti cœtui adſcribitur: ita & in ſpecie hæreſes in cœtu aliquo poſſunt exoriri, vitio quorundam, nec tamen ilicò totus ille cætus hæreticus eſt proclamandus. Nam & hæreſes non extra Eccleſiam, ſed in Eccleſiâ ſuboriuntur. Qvo reſpiciens & Apoſtolus Presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ monebat, *ut attenderent animum ad ſe ipſos & totum gregem, in quo Spiritus ſanctus ipſos conſtituiſſet Epiſcopos ad paſcendam Eccleſiam Dei. Ex ipſismet enim exorituros qvi loqverētur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtraherent*, Act: 20, 28, 30. Et 1 Cor. 11, 19: *Oportet* ait, *hæreſes eſſe inter vos, ut, qvi probi ſunt, manifeſti fiant inter vos.* Chriſtus qvoque hinc Eccleſiam ſuam cum agro comparat, in quo *non triticum ſolum* creſcit, ſed & *Zizania*, Matth: 13, 24, 25; nec non cum *areâ, qvæ paleam habet tritico permixtam* c. 3, 12. Scilicet ut in Eccleſiis, etiam hæreticorum nonnunqvam ſunt vera aliqua ac viva Catholicæ Eccleſiæ membra, veluti infantes ritè baptizati (Baptiſmus enim, omnibus ſuis eſſentialibus partibus perfectus facto quidem ipſo interdum etiam ab ejuſmodi uſurpatur Eccleſiis; jure tamen ad ſolam Eccleſiam Catholicam pertinet, quæ ex illorum ſinu liberos ſpirituales accipit, perinde ut Rahel ex ancillâ ſuâ, Bilha, filios accipiebat, poſtqvam eam in uxorem dediſſet marito, Gen: 30, 3, qvâ de re videndus eſt Auguſtinus lib. 1 contra Creſconium Donatiſtam c. 29 & 31): ita ex oppoſito in gremio Catholicæ Eccleſiæ nonnunquam & hæretici inveniuntur. Quamvis enim illi ad eam propriè non pertineant, quemadmodum & Auguſtinus docet lib. de fide & Symbolo c. 10, tolerat tamen eos qvandoq; iſta in externâ ſuâ communione, cum periculum ſubeſt, ne, illis inde excluſis, plus damni, qvàm utilitatis ad eam accedat, cum ex duobus malis ſemper id, quod minus eſt, ſit eligendum. Qvemadmodum enim lolium interdū

qui-

quidem commodè eradicari potest, ita ut triticum, cui illud intermixtum est, nihil inde detrimenti patiatur, interdum autem tritico tàm arctè cohæret, ut evelli nequeat, quin una & triticum inde noxam capiat, quo casu præstat & lolium tolerari usque ad messis tempus: ita & hæretici nonnunquam commodè ab Ecclesiæ externâ societate arceri possũt, ut Ecclesia ipsa nullũ inde damnum accipiat, aliquando autem periculum est, ne, si excommunicationis fulmẽ statim in eos vibretur, Ecclesiæ id ob sit potius, qvã prosit; veluti si inveteratus sit error, aut ei addictorum ingens sit numerus, vel etiam admodum sint potentes, aut ex aliis causis in magnâ apud plerosq; sint existimatione, paucissimis interim constet, hæretica eos fovere dogmata: tunc enim metuendum est, ne illis celerius exclusis etiam alij, aliàs rectè sentientes, istorum autoritate à recto tramite avertantur, atq; aut in hæresin aut schisma ad minimum prolabantur. In talibus ergò & similibus alijs casibus Ecclesia lenitate potius utitur, quàm severitate, seqvens Christi consilium: *Sinite crescere utrumq;, Zizania & triticum, usq; ad messem, ne colligendo Zizania eradicetis simul cum eis triticum*, Matth: 13, 29. *Qvos corrigere non valemus*, inquit Augustinus Epistolâ 166, *etiamsi necessitas cogit, pro salute cæterorum, ut Dei sacramenta nobiscum communicent, peccatis tamen eorum non communicemus, qvod non fit, nisi consentiendo & favendo. Sic enim eos in isto mundo, in qvo Ecclesia Catholica per omnes gentes diffunditur, qvem agrum suum Dominus dicit, tanqvàm Zizania inter triticum, vel in hâc unitatis areâ, tanqvam paleam permixto frumento, vel inter retia verbi & sacramenti tanquàm malos pisces cum bonis inclusos usq; ad tempus messis aut ventilationis aut littoris toleramus, ne propter illos eradicemus & triticum, aut grana nuda ante tempus de areâ separata non in horreum mittenda purgemus, sed volatilibus colligenda projiciamus, aut diruptis per schismata retibus, dum qvasi malos pisces cavemus, in mare perniciosæ libertatis exeamus. Propter hoc enim his atq; alijs similitudinibus Dominus servorum suorum tolerantiam confirmavit, ne dum se boni putant malorum permixtione culpari, per humanas & temerarias dissen-*

 siones

siones aut parvulos perdant, aut parvuli pereant. Et in breviculo Collationum cum Donatistis collatione tertiæ diei c. 9: *Mali in Ecclesiâ sic nunc sunt permixti, ut qvamvis debeat vigilare Ecclesiæ disciplina, ad eos non solùm verbis, sed etiam excommunicationibus & degradationibus corripiendos; tamen non solum in eâ latentes nesciantur, sed plerumq; propter pacem unitatis etiam cogniti tolerentur. – Duo enim sunt tempora Ecclesiæ, qva nunc est & qvalis tunc erit, — significata – etiam duabus piscationibus, una ante resurrectionem Christi, qvando mitti jussit retia, nec sinistram, nec dextrã nominans partem, ut nec solos malos, nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retium suorũ sacramentorum futuros doceret: post resurrectionem autem, qvando jussit retia mitti in dexteram partem, ut post resurrectionem nostram nos solos in Ecclesia futuros intelligeremus, ubi ulterius hæreses & schismata non erunt, qvibus modò retia disrumpuntur.* Idem repetit & lib. post collationem ad Donatistas scripto, c. 6 atque verbis insuper Cypriani ex Epistolâ ejus qvinqvagesimâ primâ illustrat: *Etsi videntur in Ecclesiâ esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut qvoniam zizania in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesiâ recedamus.* Spectat huc & illa Justiniani, tunc Comitis adhuc, admonitio ad Hormisdam, Episcopum Romanum, quæ inter Epistolas Hormisdæ Tom: 2. Conciliorum post septuagesimam secundam occurrit: *Sanctitas vestra cœlitus inspirata temporum rerumq; qvalitatem considerat, & condemnatis hujus erroris* (Eutychiani) *auctoribus, id est, Acacio Constantinopolitano, Petro & Timotheo Helluro & Dioscoro Alexandrinis, Petroq; Antiocheno finire dignetur inveteratum certamen. De cæterorum nominibus, qvæstione sopitâ, ut redimatis plebem de sangvine, qvam Deus noster regendam commisit ac non persecutionibus, ac cruore, sed patientia sacerdotali populum Domino nostro concilietis: ne dum volumus animas lucrari, & corpora multorũ perdamus & animas; errores etenim diuturnos lenitateq; clementiâq; convenit emendari, præcipuè, qvia vestræ beatitudinis prædecessores sæpissimè voluerunt Ecclesiæ nostræ Antistites ad suam revocare*

commu-

communionem, si tantummodo taceretur Acacius cæteriq; prædicti. -- Ille namq; Medicus jure laudatur, qvi veteres ægritudines ita sanare deproperat, ut ex eis nova vulnera non nascantur. Qvibus gemina sunt, quæ Justinus quoq;. Imperator, ad eundem Hormisdam scribit: *Omni intentione ordinavimus, ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec non complures aliæ vota suscipiant vestra, non solum in cæteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quæ removenda maximè postulastis.* Δίπτυχα dicebantur duo libri Ecclesiastici, in qvorum altero scribebanrur ex alterâ parte nomina illuminatorum & susceptorum, cujus meminit Pachymerius iu paraphrasi libelli Dionysij de Hierarchiâ Ecclesiasticâ c.28; in altero autem consignabantur nomina defunctorum. De qvali libro Anastasius loquitur in Agathone, dicens: *Abstulerunt de diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum.* Et Victor in Chronico: *Nomina Proterij & Salafectiarij de Ecclesiasticis diptychis tollit, & Dioscori & Heluri, qvi Proterium interfecit, scribit.* Qui volet, addere his potest & Historiam Tripartitam lib. 10 c. 25, Gregorium Magnum lib. de Sacramentis, Alcuinum lib: de Officiis c. de celebr. Missæ, Flodoardum lib. 3. Hist: Rhemens: c. 13, Florum Magistrum in expos. Missæ, deniq; & Dionysiũ de Hierarch. Eccl. c. 4. Ex hujusmodi ergò Diptychis Hormisdas aliiq; cũ eo facientes Occidẽtales Episcopi ab Orientalibus alijsq; deleri volebant nomina Episcoporum, qui Entychianæ hæreseos extiterant defensores. Id qvod etiam à Constantinopolitanâ pariter, quàm alijs quibusdam Orientalibus Ecclesijs, ad Hormisdæ postulatum, exegerat Justinus. Sed quo successu, ipse mox indicat in laudatâ illâ ad Episcopum hunc Epistolâ. Sic enim pergit: *Verum nonnullæ fuerunt urbes & Ecclesiæ tam Ponticæ, qvam Asianæ, & præcipuè Orientales, qvarum Clerici, vel populi omnibus pertentati minis, & persvasionibus, tamen neqvaqvam flexi sunt, ut tollant Antistituum*

&

& repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit, sed morte vitam duriorem æstimant, si mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vita superstitum. Hinc, quo facto opus esset, sciscitatur: *Quid igitur*, inquit, *faciamus hujusmodi pertinaciæ, quæ nec dicta audiens existit, & tormenta in tantū despicit, ut amplum sibi, ac festivum judicet, si corpore prius, quàm religioso desistat consilio?* Et tandem, quid sibi consultum videretur, exponit: *Nobis quidem, ait, videtur opus esse mollius agendi, & clementius, quæ si non in tuâ sanctitate, jam nec in alio potuerunt inveniri: nam neque sanguinis, & suppliciorum cupidi (quod dictu etiam grave est) libellum suscepimus, neque ut parvo discrimine remaneant imperfecta concordiæ desideria, sed ad prorogandam, quo possumus ordine, conjunctionem membrorum Ecclesiæ. Utrum itaq; præstantius erit, minorum gratiâ in totum esse nobis adjectas tantas multitudines, an concessis exiguis, & remissis majora, & omni ratione quærenda corrigi, ut quæ non licuit per omnia, saltem ex necessariis partibus allegentur?*

XLIX. Absit ergò, ut hæreseos confestim arguamus totam aliquam Ecclesiam, in quâ erroneum quoddam dogma, Ecclesiæ Catholicæ adversum, à nonnullis fovetur, dummodo non omnes, qui ad Ecclesiam istam pertinent, ejus se participes faciant! Nam & aliàs jura prohibent excommunicare collegium aliquod, aut communitatem integram, quod facilè contingere possit innoxios hac parte irretiri. Extat hâc de re talis constitutio in decretalibus Sixti de sententia excommunicationis capit. 5: *In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententiâ irretiri: sed in illos duntaxat de Collegio vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.* Quantò minus ergò fas est à consortio fidelium ceu hæresi infames, excludi integras Ecclesias ob aliquos, qui in ijs hæretico Spiritu ducuntur? Fieri enim id non potest citra injuriam innocentium multorum. Ita de Liberio, Episcopo Romano, constat, eum, exilij tædio victum, tandem Arianorum pravitati subscripsisse, quo in locum suum restitueretur. Id enim testantur Athanasius Epist. ad solitariam vitam agentes, Hilarius Pictaviensis in fragmentis Operis Historici, Hieronymus in Chronico, nec non catalogo Virorum illu-

strium

ſtrium in Fortunatiano, Beno de geſtis Hildebrandi in Faſciculo rerum expetendarum & fugiendarum, alijq; ; ſed quis propterea dixerit, Eccleſiam Romanam fuiſſe hujus hæreſi infectam. Non approbavit enim illa factum Liberii, ſed deteſtata potius fuit, adeò ut reliqvus Clerus Romanus, abrogato Liberio, Felicem (qui ab Arianis, quod liberè cum eis communicaret, etiamſi Arianus non eſſet, antè, reclamantibus cæteris, electus fuerat, ſed hinc à communione iſtorum receſſerat, atqve Conſtantium Imperatorem, nec non Urſatium & Valentem Epiſcopos hæreticos declararat, quorum prius Ruffinus lib. 1. c. 22 & Theodoretus lib. 3. c. 16; poſterius autem Damaſus aut quicunq; Autor eſt libri de geſtis Pontificum, nec non Ado & Uſuardus in Chronicis ſuis memoriæ prodiderunt) Epiſcopum agnoſcere dehinc non dubitarit, etiamſi antè juraſſet, ſe, qvamdiu Liberius viveret, nullum Pontificem recepturum. Sic enim Hieronymus in Chronico: *Liberio in exilium ob fidem truſo, omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium ſuſciperent. Verùm qvum Felix ab Arianis fuiſſet in Sacerdotium ſubſtitutus, plurimi pejeraverunt, & post annum cum Felice ejecti ſunt; qvia Liberius, tædio victus exilij & in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam qvaſi Victor intraverat.* Quæ verba repetit Marianus Scotus lib. 2 Chronic. ætate 6 ad ann. 355. Sed nec Anaſtaſij II cum Photino Theſſalonicenſi, in hæreſi Acacij communicantis, factum toti Eccleſiæ Romanæ imputari poteſt. Improbarunt namq; & hoc reliquorum de Clero Romano pleriq; eumque repudiarunt, ut refert Anaſtaſius Bibliothecarius in libro Pontificali in vitâ Anaſtaſij II. his verbis: *Eodem tempore multi Clerici & Presbyteri ſe à communione ejus erexerunt, eò qvod communicaſſet, ſine conſilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cuncta Eccleſia Catholica, Diacono Theſſalonicenſi, nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occulè voluit revocare Acacium & non potuit, qui nutu divino percuſſus eſt.* Pariter & Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ſuo ad ann. Domini 491: *Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ præſidet. Huic, Achatium damnatum revocare volenti, multi Romanorum non communicabant.* Sed & Faſciculus temporum de eodem: *Iſte Anaſtaſius primò bonus fuit, ſed poſteà ſeductus ab Acacio & communicavit ei & adhoc Clerus ſeparavit ſe ab eo. Et quod voluit reſtituere Acacium occultè, licet non potuit, divino judicio percuſſus*

cussus est, intestina ejiciendo. Tribui quoq; Romanæ Ecclesiæ non potest Monotheletarum hæresis, qvantumvis eam suam fecisset Honorius, Papa Romanus. Non enim ei adstipulati fuerunt reliqui Romanæ Ecclesiæ Sacerdos, sed contradixerunt, damnatâ etiam hæresi à successoribus ipsius. Testatur id Adrianus II in Synodo Romæ habitâ anno Christi 868 allocutione tertiâ. Ait enim Honorio post mortem anathema dictum esse ab Orientalibus propter hæresin, idqve factum esse cum consensu & autoritate ipsius Pontificis Romani. Et addit, *heræsin esse idoneam causam resistendi motibus & liberè respuendi pravos sensus etiam Papæ Romani.* Habentur acta hujus Synodi in actione septimâ Concilii Constantinopolitani, quod octavum Oecumenicum vocant. Leo quoq; secundus hujus nominis, acceptis actis sextę Synodi, in quâ Honorius fuit damnatus, cum literis Constantini Imperatoris, scripsit Epistolam ad eundem Imperatorem, quæ extat in actione 16 sextæ Synodi, in quâ & Synodum hanc suscipit, & actis ejus ad se transmissis, nec non Imperatoris edicto consentiens, anathema vibrat in Honorium, eumq; ait *Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinâ illustrasse, sed profanâ proditione immaculatam fidem subvertere conatum esse.* Sedem ANTIOCHENAM constat vergente Sec. III. occupasse Paulum Samosatenum, qui hæresin Cerinthianorum & Ebionitarum, Christum Deum esse negantium, resuscitavit. Numquid verò ideò hac hæresi totam Antiochenam Ecclesiam tùm infectam fuisse dicemus? Id quidem citra ejus injuriam fieri haud posset. Fuere enim illic etiam ex Clero, qui ipsi contradicerent, inter alios & Malchion, *vir disertus & eruditus scholæq; Antiochenæ in Græcis disciplinis moderator, propterq; excellentem fidei in Christum sinceritatem ejusdem provinciæ presbyterio decoratus,* de quo Eusebius memorat, quod in Synodo, isthic congregatâ, *qvæstionibus suis* prędictum Paulum *præ cæteris omnibus urserit ac solus dissimulatorem ac subdolum hominē deprehenderit & constrinxerit,* lib. 7 Hist. Eccl. c. 28. Non majori jure Ecclesiæ CONSTANTINOPOLITANÆ quis hęresin Nestorij impegerit. Non enim *ex populo solùm* haud pauci *ejus insanâ & stolidâ doctrinâ movebantur, sed & Clerici communibus suffragijs illi anathema palàm denunciabant,* teste Socrate lib. 7 Hist. Eccles. c. 33. Non ergò quid huic vel illi, ad cœtum aliquem pertinenti, videatur, spectandum est, cum judicare volumus,

num

num hæresi sit conspurcatus, sed ad confessionē publicam totius cujusq; est respiciendum, ut rectum de singulis judiciū ferre queamus.

L. Faciendum autem hoc non solùm in dogmatibus, sed & ritibus. Fieri enim potest, ut qvid in cœtum aliquem invehatur, consvetudini ac sanctionibus Ecclesiæ Catholicæ è diametro adversum, nec tamen integro cœtui tribui qveat, quod constitutiones ejus aliud requirant, nec fortè desint in ipso, qui abusus irrepentes justâ censurâ perstringant. Sic inoleverat olim non apud paucos mala consvetudo differendi usq; ad vitæ terminum baptismum, quod post lavacrum illud *major*, ut Augustinus loquitur lib. 1 Confess. c. 11, *& periculosior in sordibus delictorum reatus foret.* Sanè de ipso Constantino Imperatore Eusebius lib. 4 de vitâ illius c. 62 tradit, qvod morti vicinus demum ab Eusebio Nicodensi fuerit baptizatus. Verùm non est consvetudo hæc integris Ecclesiis adscribenda. Extitere enim semper inter Doctores Catholicos, qui eam improbarent atq; sanctiones etiam in contrarium ferrent. Veluti in constitutionibus, quæ Apostolicæ dicuntur & Clementi Romano tribuuntur, l. 16 c. 15 hæc leguntur verba: Ὁ λέγων, ὅταν τελευτῶ βαπτίζομαι, ἵνα μὴ ἁμαρτήσω καὶ ῥυπανῶ τὸ βάπτισμα, οὗτος ἄγνοιαν ἔχει θεοῦ, καὶ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐπιλήσμων τυγχάνει, *Qui dicit: Cum moriar, accipiam baptismum, ne peccem, & baptismum inqvinem, hic DEum ignorat & naturæ suæ immemor est. Ne differas*, pergit, *converti ad Dominum: non enim scis, qvid pariet posterus dies.* Concilio Neocæsariensi quoq; hunc morem displicuisse satis apparet ex Canone ejus 12, qui & citatur in Corpore Canonico dist. 57 atq; ita habet: *Si qvis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi fortè postea ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.* Sed & fieri potest, ut integer aliquis cœtus ritus quosdam approbet, à primis Catholicæ Ecclesiæ decretis abeuntes,

 nec

nec tamen hæreſcos ei è veſtigio infamia ſit inurenda, etiamſi non lateat eum, quid olim in Eccleſiâ fuerit uſitatum, nempe ſi non ideo aliquid innovet, ut Eccleſiæ frontem obvertat, ſive obedientiam ei debitam contumaciter abjiciat, ſed abuſus invectos, aut quod ratio, ob qvam ritus antehac inſtituti aliquamdiu obſervati fuere, exſpirarit. Fieri enim poteſt, ut ritus etiam optimus in abuſum maximum degeneret, adeò ut hic longè major ſit, quàm uſus ejus: & tum jure meritoq; ille abrogatur, qvod ad ædificationem omnia in Eccleſiâ debeant eſſe directa, 1 Cor. 14, 26. Dubium quoq; non eſt, quin Eccleſia ritum nullum introduxerit ſine certâ ratione. Quamdiu ergò illa obtinet, meritò is retinetur; quando autem illa ceſſat, ceſſat jure & ritus ipſe. Unde & dudum Eccleſia ritus V.T., utut ab ipſo Deo inſtitutos, ſuſtulit. Erant enim hunc in finem inſtituti, ut typi eſſent futurorum, Col. 2, 27. Retinebantur ergò meritò, quamdiu vetus adhuc Teſtamentum conſiſtebat: aſt nunc meritò ſunt abrogati. Exhibito enim corpore nulla amplius ſupereſt ratio, cur umbris iſtis, quales v. c. erant circumciſio, agnus Paſchalis, ſacrificia & alia talia, inhærere debeamus. Ut res clarior fiat, illuſtremus utrumq; itidem uno atq; altero exemplo. Erant in primitivâ Eccleſiâ ubiq; receptæ *agapæ* ſive *publica convivia*, ad quæ ditiores panē, vinum aliaq; victualia offerre, pauperes advocare atq; cum iiſdem in Eccleſiâ accumbere ac convivari charitatis ergò ſolebant. Meminit conviviorum iſtorum Tertullianus in Apologetico c. 39 his verbis: *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim* ἀγάπη, *id quod eſt penes Græcos, dilectio. Qvantiscunq; ſumptibus conſtat, lucrum eſt, pietatis nomine facere ſumptum: ſiquidem inopes qvoq; refrigerio iſto juvamus. — Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non prius diſcumbitur, qvàm oratio ad Deum prægustetur. Editur, qvantum eſurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut qvisq; de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt,*

Agapæ olim usitatæ

potest, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas cæsionum, neq; in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ; ut qvi non tam cœnam cœnaverint, qvàm disciplinam. Hæc coitio Christianorum. Respicit ad convivia hæc publica etiam Minutius Felix in Octavio scribens: *Convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitatem hilaritate temperamus.* Sed & Origenes eorum meminit lib. 1 contra Celsum, qvum de hoc Ipso loquẽs ait: Καὶ βούλεται διαβολεῖν τὴν καλουμένην ἀγάπην χριστιανῶν, *Calumniari intendit agapen qvã vocitant Christiani.* Stabilita fuere hæc convivia in Synodo Gangrensi Sec. IV. Sic enim canon ejus undecimus habet: *Si qvis despicit eos, qui fideliter Agapas, id est, convivia pauperibus exhibent & propter honorem Dei convocant fratres, & noluerit communicare hujuscemodi vocationibus, parvi pendens, quod geritur, anathema sit.* Hieronymus de ijsdem ad 1 Cor. cap. 11: *In Ecclesiâ convenientes oblationes suas separatim offerebãt, & post communionem qvæcunq; eis de sacrificiis superfuissent, illic in Ecclesiâ communem cœnam comedentes, pariter consumebant.* Chrysostomus insuper homil. 27 in 1 Cor: *Statis diebus mensas faciebant communes, & peractâ synaxi, post sacramentorum communionem omnes commune inibant convivium, divitibus qvidem cibos adferentibus, pauperibus etiam, & qvi nihil habebant vocatis & omnibus communiter vescentibus.* Idem habet & Sermone de verbis Apostoli: *Oportet hæreses esse*; nec non Theophylactus & Oecumenius in 1 Cor. 11; Theodorus Balsamon item in Can. 27. Concil. Laodiceni ita commentans: Ἀγαπαὶ καλοῦνται παρὰ τῶν φιλοχρίστων γινόμενα συμπόσια, ἤγουν τὰ ἁγιομνήσια, *Agapæ dicuntur, quæ fiunt à Christianis convivia seu sanctæ commemorationes.* Dubium autem non est, qvin introductæ in Ecclesiam fuerint ad imitationem cœnæ Servatoris & jam Apostolorum tempore usitatæ. Ad eas enim respicit Apostolus 1 Cor. 11, 20, nec non Petrus 2 Epist. 2, 13, 17 & Judas v. 12. Nihilominus cũ convivia ista in dissensiones & luxum nimium degenerassent, de Ecclesijs postmodum omnibus fuere sublata. Sic enim sancivisse deprehendimus Concilium Laodicenum can. 28: *Non*

oportet in baſilicis ſeu Eccleſiis Agapen facere & intus manducare, vel accubitus ſternere. Quod repetit Concilium Carthaginenſe III can. 30, qui ita habet: *Nulli Epiſcopi vel Clerici in Eccleſiâ conviventur, niſi fortè tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiantur. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri poteſt, prohibeantur.* Pariter & Concilium Antiſiodorenſe cap. 9: *Non licet in Eccleſiis – convivia præparare, quia ſcriptū eſt: Domus mea domus orationis vocabitur* Vid & Photius in NomoCanone Tit. 5 c. 12. Mos quoq; olim in Eccleſiâ erat de nocte convenire tempusq́; *vigiliis* & precibus aliisq; exercitiis ſacris ducere, præſertim circa feſta magna. Tertullianus ſanè meminit vigiliæ Paſchalis lib. 2 ad uxorem c. 4 ſcribens: *Quis ſolennibus Paſchæ abnoctantem uxorem ſecurus ſuſtinebit?* Lactantius lib. 7 c. 13: *Hæc eſt nox, quæ à nobis propter adventum Regis ac Dei noſtri pervigilio celebratur.* Et Euſebius lib. 4 de vitâ Conſtantini Magni *moles cereorū in vigiliis paſchalibus accenſas* refert. Hilarius quoq; antelucanas vigilias memorat in Pſal. 118. Sed & pertinet huc, quod Nazianzenus ſerm. de Paſchâ & orat. funebri in Patrem ſcribit de nocte diem feſtum Paſchæ præcedente, luminibus & flammis coruſcante. Et Ambroſius ſerm. 60: *Iejunavimus*, ait, *Sabbato, Vigilias celebravimus, orationibus percunctanter inſtitimus.* Hieronymus quoq; illas lib. contra Vigilantium in tantū tuetur, ut *Vigilantium* ob contemtum eorum *Dormitantium* vocet. Sed & Victor Uticenſis lib. 2 de perſecut. Vandal. *vigilias Epiphaniæ* commendat. Taceo, quod & Scriptores gentiles earum mentionem faciant. Sic enim Plinius Junior lib. 10 Epiſt. 97 ad Trajanum de Chriſtianis verba faciens: *Affirmabant hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenq; Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.* Et Lucianus in Philopatr. ex perſonâ Chriſtianorum: *Ad hymnos,* inquit, *totâ nocte decantandos vigilantes talia ſomniamus.* Deniq; Ammianus Marcellinus lib. 28: *In ſtatione primis tenebris obſervata cuſtodum abſentia, qui die feſto Chriſtiani ritus in Eccleſiâ pernoctabant.* Verùm cum temporum ſucceſſu ex nocturnis hiſce ſacris ad libidinem explendā aliaq; ſcelera perpetran-

vigiliæ olim celebratæ

da non pauci occasionem sumerent, fuerunt & ista passim pedetentim abrogata. In Concilio qvidem Elibertino jam Sec. IV. speciatim interdictū fuit fœminis, ne in cœmeterijs pervigilarent, qvod sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committerent, ceu videre est in Can. Concil. hujus 35. In ædibus privatis autem vigilias prohibuisse videtur Concilium Antisiodorense Sec. VII coactum. Sic enim illud Can. 3: *Non licet conventus in domibus propriis, nec vigilias in festivitatibus sanctorum facere.* Canone 5 porrò idem Concilium ita de vigiliis, circa festū Martini celebrari solitis, decernit: *Omninò & inter supradictas conditiones vigilias, qvas in honore Domini Martini observant, omnibus prohibemus.* Omninò autem vigilias abrogatum ivit Conciliū Sabiense Sec. XIV coactum. Sic enim illud Rubricâ de Judæis & Saracenis: *Quia in nocturnis vigiliis, qvas in Ecclesiis fieri aliqvorum simplicium devotio introduxit, nefanda sæpè ac enormia sub hâc boni specie committuntur, ipsas fieri de cætero firmiter prohibemus.*

LI. Ulterius ab ipsismet Apostolis constitutum fuit, ut *gentiles* qvoq; sacris initiati, *à suffocato* sive carne, cujus sangvis haud esset effusus, *abstinerent*, Act. 15, 29, vel ideo, quod inter gentiles ea vigeret opinio, qvasi is dæmonum cibus esset, qui ex nidore ejus pascerentur, ne illorum cibo nutrirentur, ut putat Origenes lib. 8 contra Celsum: vel, qvod verisimilius est, ne Judæi conversi, quippe abhorrentes adhuc ab istis escis propter divinum præceptum, ab illorum pariter consortio abhorrerent, si hujusmodi cibo vescerentur, qvam rationem adducit Augustinus lib. 32 contra Faustum c. 13. Hoc statutum confirmatum fuit & deinceps. Sic enim Canonum Apostolicorum, qui licet Apostolos omnes autores non habeant, antiqvissimi tamen sunt & mores Ecclesiæ primitivæ comprehendunt, 63: *Si qvis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut omninò qvicunq; ex Sacerdotali consortio, comederit carnes in sangvine*

anima

animæ ejus aut à bestiis abreptum aut suffocatum, deponitor: hoc enim lex prohibuit. Sin verò Laicus sit, à cõmunione excluditor. Et Concilium Gangrense cap. 2: *Si qvis eum, qvi carnem (præter sangvinem & idolothytum) cum pietate & fide comedit, condemnat, -- sit anathema.* Sed & Concilium Aurelianense II, Sec. VI coactum, cap. 20: *Catholici, qvi bestiarum morsu extincto, vel qvolibet casu aut morbo suffocato vescuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur.* Quin & Concilium Wormatiense adhuc Sec. IX can. 65: *Aves,* inquit, *& alia animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda.* Et Sec. X Anglicana Ecclesia sub Edgaro Rege constit. 53: *Docemus etiam,* ait, *ut nemo Christianus ullius generis sangvinem comedat.* Nihilominus in Ecclesiâ Africanâ constitutio hæc jam ætate Augustini exoleverat, quod, causâ ejus cessante, se ad servandam eam non esse obligatam amplius putaret, sicut ipse Augustinus lib. 32 contra Faustum c. 13 refert his verbis: *Ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in eâ nullus Israëlita carnalis appareat, qvis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi qvarum sangvis effusus est? aut leporem non edat, si manu à cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qvi fortè pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur.* Constat quoq; die Sabbati olim Ecclesiam jejunium prohibuisse. Non jejunabant enim eo Judæi, quippe die lætitiæ, ceu patet etiam ex historiâ Judith c. 8, 6. Et R. Moses Ægyptius de Ceremoniis lib. 3 de temp. & de Sabbato expressè testatur, fuisse vetitum Judæis Sabbato jejunare, præterquam obsidionis tempore, pænamq; fuisse statutam, ut qui Sabbato jejunaret, sequenti etiam die jejunare cogeretur. Ex quo sine dubio etiam factum, ut Plutarchus Judæos *Sabbati diem pollucibiliter celebrasse* scribat lib. 4 Sympos. c. 5. Ne ergò, si hoc die Christiani jejunassent, offendiculum inde Judæi caperent, sed facilius cum gentium Ecclesijs coalescerent, prohibitum

die sabbati olim [illegible] jejunium ... introductum

tum

tum & istis fuit hoc die jejunare. Sic enim Canon Apostolicus 66: *Si quis Clericus deprehendatur die Dominico jejunans aut Sabbato præter unū solum*, qui scilicet Pascha proximè præcedit, *deponatur, Si verò Laicus, à communione segregetur.* Fuit verò & deinceps idem statutum in plerisq; Ecclesijs observatum. Inde enim Tertullianus l. de Jejunio c. 15: *Quantula apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas Xerophagiarum nec totas, exceptis scilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo; abstinentes ab ijs, quæ non rejicimus, sed differimus.* Joannes Cassianus quoq; hinc lib. 3 de Cœnobiorum institutis c. 12 Sabbatum & Dominicum diem *feriata* vocat *tempora*, quibus prandium pariter & cœna fratribus exhiberi fuerint solita. Et Socrates lib. 6. c. 8 *festos* cujusq; septimanæ hos vocat dies. Ad hæc Concilium Quinisextum Sec. VII. can. 55 repetit & confirmat canonem Apostolicum paulò antè adductum. Et Anastasius Nicænus lib. Quæst. qv. 77: *Sabbatum*, inqvit, *& dies Dominicus sunt dies sancti & festi, neq; licet in eis jejunare.* In Romanâ interim Ecclesiâ satis citò hîc mutatio aliqua facta est. Testatur enim de Romanis disertè Socrates l. 5 c. 22, quod *omne Sabbatum suâ ætate jejunarint.* Sed & jam ante illum Ambrosius Romæ isto die jejunatum fuisse refert apud Augustinum Epist. 118 ad Januarium. Persvasi enim erant, se ad sanctionem pristinam, qvod causa ejus cessasset, non esse amplius adstrictos, sed liberum sibi esse ab eâ recedere. Quod & fecerunt, non eo consilio, ut præfractè aliquid constitutionibus pristinis detraherent, sed partim ideò, ut à Judaismo tantò longius recederent, neq; cum illis & Ebionitis, quos Judaicè observasse Sabbatum testantur Eusebius l. 3. Hist. c. 21 & Epiphanius hær. 30 n. 32, necessariam esse jejunij intermissionem hoc die sentire viderentur: partim ideo, quod intenti isto die essent in mortem Servatoris, in sepulchro toto isto jacentis, & luctum, in quo ob hanc ipsam eo constituti fuerint Apostoli, in cujus memoriam

& ipsa Orientalis Ecclesia cum Sabbati diem, qui Pascha proximè antecedit, jam inde ab initio jejunio dicaverat. Quam rationem reddũt Innocentius in Epistolâ 11 ad Decentium Engubium Episcopum c. 4 & Rabbanus Maurus l. 2 de Instit. Cleric. c. 23, necnon Berno Augiensis Abbas de quibusdam rebus ad Missam spectantibus. Quibus causis & aliæ Ecclesiæ in Occidente motæ hunc Romanæ Ecclesiæ morem fuere amplexæ: fuitq; idem confirmatus & in Concilijs qvibusdam, veluti Agathensi Sec. VI Can. 8 & Gerundensi can. 2. Qvamvis jam ante quoq; suum cum fecerat Concilium Elibertinum, in Hispaniâ celebratum, can. 26. Nec tamen ideò Ecclesiis hisce ab alijs hæreseos dica scripta est. Putarunt potius, permittendum esse illis, ut suo sensu abundarent, moremq; istum etiam ab alijs, si fortè in istis locis, ubi obtineret ille, commorarentur, esse observandum; cum autem aliò venirent, ubi jejunium illud in usu haud esset, intermittendum illud iis esse, ne offendiculum ulli præberetur. Ita sanè hac de re judicat Ambrosius apud August. Epist. 86 ad Casulanum. Approbatq; illud etiam Hieronymus Epist. 28 ad Lucinium, nec non Augustinus ipse cùm loc. cit. tùm & Epist 118 ad Januarium. Nam, ut bene Irenæus Epist. ad Victorem apud Eusebium l. 5 Hist. c. 23, ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι, *varia & discrepans jejunij ratio concordiam fidei plurimùm commendat.* Et tantum de definitione hæretici.

ADDENDA.

Pag. 2 lin. 30 post verbum, συμφόνων. Et lib. de optimâ sectâ ad Thrasybulum in theorematis, ex qvibus secta constituitur, tria requirit. Primùm, ut quodq; eorum sit ἀληθὲς; deinde χρήσιμον; postremo ἀκόλουθον ταῖς ὑποτεθείσαις ἀρχαῖς.

Pag. 7 lin. 7 post verba illa, αἵρεσιν καθολικήν, addatur, quē-

ad.

admodum & jam antè Clemens Alexandrinus lib. 7 Stromatũ ἀρίστην αἵρεσιν, *optimam hæresin* nuncupaverat eandem.

Pag. 12 lin. 23 post verbum, *debet*. Sed & Hieronymus adversus Luciferianos cap. 5: *Quæ*, inquit, *est ista simplicitas, nescire quod credas*. Deniq; & Bernardus Epist. 190 ad Innocentium: *Fides*, ait, *conjectando vel opinando habetur in corde, in quo est, ab eo, cujus est, sed certâ scientiâ, acclamante conscientiâ.*

Pag. 14 lin. 10 post verba illa, *sic hac quoq; frustraretur*. Chrysostomus quoq; hinc passim fidẽ opponit λογισμοῖς. Veluti homiliâ 24 in c. 3 Johann: λογισμῷ, inqvit, εὑρεῖν οὐ δύναμαι, πίστει δὲ δέχομαι μόνῃ, *Ratione invẽire nõ possumus, fide solâ possumus.* Et homiliâ 22 in Epist. ad Hebræos: τὰ μέγιστα διὰ πίστεως, καὶ οὐ διὰ λογισμῶν κατορθοῦνται, *Maxima res per fidem & non per ratiocinationes perfectæ sunt.* Vid: idem & homilâ 5 in Epist. ad Colossenses, necnon homiliâ 83 in Matth. 26, item homiliâ 1 in Epist. ad Titum &c.

Pag: 18 lin. 8 post verbum, *dicunt*. Sed & ante hos Ephræm Antiochenus apud Photium in Bibl. Cod: 229: *Inqvisitio*, ait, *illa, quæ de rebus fidei suscipitur, si aberret à veritate, ingens animæ naufragium affert. Quare vel minimam, quæ quidem eò pertineat, excutere syllabam oportet. At verò disputatio illa, quæ de qvæstionibus habetur ad fidẽ minimè spectantibus, rectè quidẽ se habet, si optatum finem veritatis assequatur. Sin autem ab eo excidat, ita quidem non benè successerit, non tamen in exitium animæ vergit.*

Pag. 27 lin. 30 post verba illa, *nobis manifestavit*. Assensus, inqvam. Fides enim, ut hæresi opponitur, in assensu consistit, quẽ verbo revelato præbere debebant & hæretici, verũ id non faciunt, sed potius ei reclamant. Unde & Basilius hactenus fidem Serm. de verâ ac piâ fide definit συγκατάθεσιν ἀδιάκριτον τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας τῶν κηρυχθέντων θεοῦ χάριτι, *assensum eorum, quæ dicta sunt, sine ulla hæsitatione cum summâ animi persvasione de eorum verita-*

veritate, quæ DEi munere sunt prædicata. Addo autem CREDITU, non &c.

Pag. 77 lin. 5 post, *& alij passim.* Interq; eos & Antocides Orator Atheniensis, qui στήλην, seu columnam, memorat ante vestibulum curiæ Atheniensium positã, in quâ scripta fuerit lex ista: *Qui in urbe, amotâ Democratiâ, Magistratum gesserit, impunè interficiatur.* Verba ejus sunt: Ὁ δὲ νόμος τί κελεύει, ὃς ἐν τῇ στήλῃ ἔμπροσθεν ἐστὶ τοῦ βουλευτηρίου; Ὃς ἂν ἄρξῃ ἐν τῇ πόλει, *&c.* *Quid illa lex jubet, illa scilicet, quæ in columnâ ante vestibulum curiæ scripta est: Qui in urbe &c.* Sed & alius columnæ illic mentionem facit, cui inscripta fuerit lex mille drachmis multari jubens eum, qui ἱκετηρίαν in Eleusinio posuisset. ἡ δὲ στήλη, inquit, παρ᾽ ᾗ ἕστηκας, χιλίας δραχμὰς κελεύει ὀφείλειν ἐάν τις ἱκετηρίαν θῇ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ, *Columna, apud quam stas drachmis mille multari jubet, si quis in Eleusinio iceteriam posuerit.* Erat insuper apud Athenienses *columna* in templo *Dioscurorum,* quod ἀνάκειον vocabatur, in quâ perscriptum erat, *è duobus bubus præcipuis selectis tertiam partem in certamen, è duabus reliquis partibus alteram Sacerdoti, alteram parasitis impendendam,* teste Athenæo lib: 6 Dipnosophistarum. In delubro etiam, seu templo Herculis, quod Cynosargis dicebatur, ad *columnam* quandam appensum fuisse ψήφισμα, sive *decretum quoddam Alcibiadis* idem refert lib. 4. In antiquissimo deniq; Bacchi templo, quod in Limnis erat, propè aram lapideam *columnam* fuisse, in quâ expressa fuerit lex *de uxore à Rege cive virgineq; ducendâ,* testis est Demosthenes Oratione in Neæram. Quamvis autem στήλη & στύλος passim promiscuè usurpentur, est tamen aliàs inter vocabula ista, observante etiam Eustathio in Odyss: 5, aliquod discrimen. Nempe στύλος propriè est columna præcipua, magna vel unica alteri rei sustinendæ vel proponendæ collocata. Quo sensu vocem usurpat Lucianus, de Deâ Syriâ scribens: Ἐμοὶ δὲ δοκέει στύλος ἐφεστὼς μέγας ἀνέχειν τὸν βωμόν, *Mihi columna videtur subesse magna, aramq; sustinere.* Aliæ autem minus notabiles στῆλαι propriè nuncupantur. Unde & in Glossis Cyrilli dicitur: στύλος, *columna.* στήλη, *cippus.*



INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ,
quæ hoc in volumine illustrantur aliàs vel adducuntur.

Col.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

stia-

Mille

P

Papa non est infallibilis nec necessario Ecclesiae caput. Vide Eccl. de Ver. f. 32. Calixt. disp. de primatu Pontif. Rom. et Eccles. de conversione Sacramentorum à n. 175. ad n. 187. Papistae quidam catholici. Vide de Ver. f. 33.

Ad Paradisum pertinentia? Eccl. sect. 1. c. 9. f. 26. 27. 28. 29. usque ad sect. 4. et Cassand. Consult. quid faciendum in Ægyptijs de quibus nil definiri vere. Eccl. f. 30. 31.

Peccatum Orig. Vocabulo non est positum quod privatio. Eccl. c. 3. sect. 2.

Peccatum Orig. sub N. T. non est causa condemnationis. Eccl. sect. 2. c. 4.

Pelagiana haeresis … Eccl. sect. 1. c. 5. f. 44. item sect. 2. c. 5. f. 11. seqq. … De semipelagianis … Hist. Pelagianam Vossij.

Poenitentia non est fides. Eccl. sect. 1. c. 5. f. 4. … Calixt. Conf. c. X. … ad Cath. conf. ad art. 12. …

… Calixt. c. 4. n. 11. 12. 13. 14. 15.

Praedestinatiani haeretici. Eccl. sect. 1. c. 5. f. 41. … Electos … ad vitam aeternam Calixt. Conf. c. 4.

q

… circa sacra se gerere. Vide Calix. conf. ad art. 16.

Purgatorium. Eccl. c. 9. sect. 1. Hulsem. sect. ci. c. X. f. 23.

R

Reliquiae Sanctorum. Calixt. Conf. c. 16. … ex reliquijs faciendas … reliquias vero aliquas … falso supponuntur … Calixt. Conf. ad art. 21.

Romana Ecclesia non est infallibilis. Eccl. de Ver. f. 32.

Ordines sacerdotum Critaps. Conf. c. XI. de
sacerdotum mysterio admittendis c. XI.
Cass. Conf. ad art. 23. [illegible]
regiam de Conjugio sacerdotum.
[illegible] fieri sacerdote
[illegible] c. l.
Sacra [illegible]. Bapt. S. Coena et [illegible].
[illegible] v. dicta plura. Metreg
Conf. c. 5. [illegible] confessor
fidei Cass. conf. ad art. 5.
Certus esse [illegible] fidelis de salute sua
[illegible] sub [illegible]. Reidl.
sect. [illegible]. Q. 6.
Sancti Invocandi Critaps. Conf. c. 17. Cass. conf.
ad art. 21. [illegible] Sancti invocandi c. 17.
Critaps. Sancti [illegible] mediatores, [illegible]
Legati et deprecatores. ib. De sup-
plicandum [illegible] merita et intercessiones
Sanctorum Cass. conf. ad art. 21. Male
[illegible] invocantes Sanctis [illegible] patrocinia
[illegible] male [illegible] confidunt Sanctis
[illegible], Male merita Sanctorum nos
salvare censent. Male novum Sancti
[illegible] caeteris invocant. Male [illegible]
honores Sanctis tribuunt. ib.

[illegible] Theologica C. I. Theologia.
Scriptura norma fidei [illegible] in [illegible]
casu sect. 1. Reidl. Q. 9. Scriptura ex
Scriptura interpretanda c. l. [illegible]
[illegible] haeretici [illegible] in eo subsisten-
dum. [illegible] seqq. [illegible]
sensum [illegible] antiquitas consensus et
[illegible] c. l. [illegible] 18. seqq. [illegible]
canonem cognoscendum [illegible] testi-
monium [illegible] c. l. Q. X. [illegible]
in [illegible] contentum esse diam plurimis [illegible]
[illegible] seqq. [illegible] in [illegible]
[illegible] plures et mysticos et [illegible]
sensus admittit. Reidl. sect. 1. Q. 11.
Libri canonici, [illegible] apocryphi. Critaps.
Conf. c. 17. [illegible] ad [illegible]
[illegible] in sensu genuino Reidl. de
[illegible] sensus genuinus est
[illegible] de [illegible] de [illegible]
[illegible] sensu [illegible]
[illegible] tradio n. 25.
26. 27. [illegible] ad confirman-
dam fidem [illegible] 35.
13 S. in V. T. [illegible] dona [illegible], in N. T.
[illegible] Reidl. sect. 2. Q. 9.
[illegible] 17. 18. 19. 20. De [illegible] S. passione
[illegible] Lat. [illegible] 1.
[illegible] erat [illegible]
Reidl. de [illegible] 51.

T.

Par Jus Theologica. Ricd. sect. 1. Θ. 7.
Theologia alia e practica dicitur
orthodoxa, et ad eas . . . Ricd.
sect. 1. Θ. 8.

Traditiones admittendae Ricd. sect. 1. Θ 4.
§ 6. in marg. et § 4. et in marg. et
§ 13 faciunt ad detegendum sensum
S. Scripturae genuinum. Ricd. de Ver.
n. 25. 26. 27.

Transubstantiatio sect. 3. Θ. 2. § 12.
seqq. Ricd.

Mysterium Trinitatis in V. T. cognitum Ricd. sect. 2. Θ. 9. § 9.
et sect. 5. Θ. 1.

V

Vigilis olim in usu Ricd. de Ver. § 50.
Vigilarunt nocte ante resurrect.
Chri. . . . 7. § . . . de ael.
. . . Ricd.
Una Christi V. T. . . .



